GLORIA SANCTI BONI LATRONIS, VULGO DISMAE NUNCUPATI, DUABUS...

Francisco Schauenburg

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
42
6 B
9

Digitized by Google



Digitized by Google



*Unus eſt, ne deſperes: unicus eſt, ne præ=
ſumas. S. Auguſtinus.*

Digitized by Google

GLORIA
SANCTI
BONI LATRONIS,
VULGO DISMÆ
NUNCUPATI,
DUABUS PARTIBUS
ILLUSTRATA.
PRIMA
BREVEM EORUM OMNIUM,
QUÆ HUNC SANCTUM CONCERNUNT,
CRITICAM RELATIONEM,
SECUNDA
NOVENDIALEM DEVOTIONEM
EX SOLIS
SANCTORUM PATRUM, GRAVISSI-
MORUMQUE SCRIPTORUM
ELOGIIS,
IN GRATIAM CONCIONATORUM
ET OMNIUM
SANCTI BONI LATRONIS
CLIENTUM
COLLECTAM CONTINET,
CUI ADDITUR ALIA ADHUC BREVIOR NOVEM
DIERUM DEVOTIO CUM VARIIS PRECIBUS
AD EUNDEM SANCTUM:
EDITA EX VOTO
A P. FRANCISCO SCHAUENBURG
SOCIETATIS JESU.
CUM PERMISSU SUPERIORUM.

AUG. VIND. APUD JOANNEM GEORGIUM DORNNER
BIBLIOPEGAM, MDCCLXVII.

Digitized by Google

Utinam! utinam! daretur nobis, o Latro! tua ſectari veſtigia. In te miſerationis ſuæ affluentiam Salvator exhibuit. Exemplo tuo deſperatorum eruditur vita, delinquentium roboratur animus, erigitur ſpes, exaltatur affectus, & antiquæ conſuetudinis malæ renovatio ſuadetur; profectus quippe tuus noſtrorum militavit ſaluti. *S. Laurentius Juſtinianus c.* 10. *in triumph. Chriſt. agon.*

Timendum, ne hujus Latronis exemplo multi tardent converſionem ſuam, ac procraſtinando pereant contra illud: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Eccleſ.* 5. Sed iſti reſpicere debent, lateri Chriſti adfuiſſe alterum latronem, qui non eſt converſus. Non eſt ſemper illa dies Veneris ſancta. *Alphonſus Salmeron tom.* 10. *tract.* 40.

Digitized by Google

Suo
apud ſanctiſſimum Cor
JESU
in gravi morbo
cum felici eventu
invocato Patrono:
ſancto bono Latroni:
magno quondam
Peccatori,
nunc
magno Sancto:
unico Advocato
JESU
in monte Calvariæ;
Solatio
morientis DEI:
Gaudio
ſtantis ſub cruce Matris:

Digitized by Google

Homini
primo, & ultimo
ab ipſo JESU
Pontifice ſumo
publice
in numerum Sanctorum
relato:
Sancto Socio
JESU
in Cruce:

Ex voto
has pagellas
D. D. D.

Sociorum JESU minimus
Franciſcus Schauenburg.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Paucis, benevole Lector, te compellatum volo. Conſcripſi hunc libellum ex voto in honorem ſancti boni Latronis, poſtquam is in lethali morbo interceſſor apud ſanctiſſimum Cor JESU a me invocatus ſanitatem fere jam deſperatam mihi reddidit. Plura, quæ hac occaſione Sanctus hic beneficia mihi præſtitit, & quorum vix ſine lachrymis recordari poſſum, enucleatius nolim hic addere. Porro laborem, quem in conſcribendis hiſce foliis, & colligendis omnibus iis, quæ ſanctum bonum Latronem concernunt, exhauſi, ex ipſa libelli lectione facile ipſius metiri poteris. Certe omnem diligentiam adhibui, ſcriptis etiam extra Germaniam pluribus literis, ut in pleniſſimam eorum notitiam, quæ cum hoc Sancto vel ejus cultu con-

Digitized by Google

nexa ſunt, devenirem. Atque hæc quidem de prima libelli parte intellecta eſſe volo. Secunda illius pars præter alias ad ſanctum bonum Latronem preces continet Novendialem devotionem, quæ tota quanta ex ſanctorum Patrum, aliorumque graviſſimorum Scriptorum elogiis, quibus Sanctum hunc exornant, collecta eſt. Quæ quidem elogia literatis & animarum paſtoribus facile ſervient, ut inde non tantum piiſſimas de Sancti virtutibus meditationes ipſimet inſtituant, ſed etiam conciones ad populum ſolidiſſimas eruant. Si tamen quibusdam hæc elogia meditandi ratio forſan diſpliceret, eorum in gratiam ſubjunxi breves alias meditationes, easque in certa puncta diviſas, ſervituras forte etiam concionatoribus, qui, dum verba e cathedra de hoc Sancto facere vel volent,

Digitized by Google

lent, vel debebunt, in iis paratum jam, licet breve, concionis ſchema invenient, facile uberius deducendæ ex Patribus aliisque Scriptoribus, quos in priore novendiali devotione adduxi. Officium breve de ſancto bono Latrone, quod in eadem ſecunda parte addidi, concinnavi ex variis hymnis de Sancto hoc Cremonæ editis, multum tamen a me immutatis, eo quod unus & alter ob metrum, alii ob imparitatem ſtropharum ſibi parum congruerent.

Ad calcem præfationis id unum adhuc te monere liceat, Lector! Deprehendes ex modica mea opella, quam enormiter errent Authores illi, qui ſanctum bonum Latronem nullo in Eccleſia publico cultu coli exiſtimant, & quidem ea ex ratione, quod alias peccatores, ſi publica hujus Sancti, coli alias dignif-

Digitized by Google

digniſſimi, veneratio ab Eccleſia probaretur, ad differendam pœnitentiam inducerentur. Certe cultum publicum ſancti boni Latronis in Eccleſia jam invaluiſſe, luculenter deprehendes ex paragrapho quarto partis primæ hujus libelli. Rationem porro horum Authorum, ob quam putant Sanctum hunc publice ab Eccleſia non coli, quamque præpoſtere ſane afferunt etiam Auguſtinus Paoletti *in conc. ad Dom. 4. Advent.* item Joſephus Manſi *in Bibl. moral. tom.* 3 *tract.* 65. *diſc.* 2. & Jacobus Schmid in ſuo germanico *opere de Latronibus* ſolidiſſime refutat doctiſſimus Maragnonius, Canonicus Anagnienſis in ſuo præſtantiſſimo opere *l'ammirabile Converſione di S. Disma*, item Author anonymus in ſuo piiſſimo libro Cremonæ italice edito ſub titulo: *l'Avvocato di Geſù Chriſto ſul Calvario.*

Digitized by Google

PARS PRIMA
ſeu
BREVIS CRITICA RELATIO
eorum omnium,
quæ ſanctum bonum Latronem concernunt.

§. I.

De ſancti boni Latronis vita in ſuis ſceleribus.

Incipiamus ab illius nomine. Verum quale id fuerit, nullis authenticis documentis nobis conſtat. Unde & in Martyrologio Romano ad diem vigeſimam quintam Martii, qua illius feſtum colitur, nullum illi nomen apponitur; legitur enim duntaxat: *Hieroſolymis commemoratio ſancti Latronis, qui in cruce Chriſtum confeſſus, ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in paradiſo.* In-

 terim

Digitized by Google

terim a plerisque Authoribus vocatur Diſmas, ab aliis Dimas, uti & eum vocant recentiſſima numismata Romana, quæ in manibus habeo. Atque ſub his nominibus inveniuntur illi altaria & ſacella erecta, ut Cardinalis Baronius in ſuis notis ad dictum Martyrologium Romanum aliique teſtantur. Proin & nobis deinceps ſanctum hunc Latronem vocare Dismam licebit, eo quod in noſtra Germania hoc ipſum nomen jam paſſim obtinuerit. Çæterum a S. Scriptura vocatur Nequam, Sceleratus, Latro. *Ducebantur autem & alii duo Nequam, ut interficerentur*. Luc. c. 23. *Et cum ſceleratis reputatus eſt*. Iſaiæ 53. *Et cum eo crucifigunt duos latrones*. Marc. c. 15. Ex his tribus titulis ſatis apparet, qualis in vita fuerit Dismas noſter, nempe Nequam, Sceleratus, Latro. Hinc autem anſam deſumpſere ſancti Patres nigerrimis coloribus virum hunc depingendi. Audiamus unum duntaxat vel alterum. S. Ambroſius *in libro de pœnitentia c.* 2. ita habet: *Omnem vitæ ſuæ actum latrociniis ille cruentaverat,*

rat, & egerat ſemper in ſæculo diabolicæ feritatis armigerum: nunquam Dei meminerat: nulla legis audiverat mandata, aut certe, ſi audierat, proclivior ad facinora non curabat: totam ſpem in deſperatione verſabat, & exercebat crudelitatem more ſceleratorum ſatellitum. S. Eulogius Martyr *in apologet.* eum accuſat, quod proprii fratris ſanguine manus fœdaverit: *Totius vitæ ſuæ metam latrociniis, rapinis, prædisque exegit, & fraterno cruore illitis manibus crucem aſcendit.* Quid quod Dismam hunc noſtrum non tantum principem latronum, ſed filium quoque principis latronum fuiſſe aſſerat Exquilinus Epiſcopus cum aliis, quod quidem, ſi veritate nitatur, facile eſt conjicere, quam ſceleratam vitam a primis unguiculis duxerit Dismas. Quæret jam aliquis, quis religione Dismas fuerit, num Judæus, qui verum Deum agnovit, an vero Gentilis idololatriæ deditus. Reſpondeo, iterum nil certi hic aſſeri poſſe, cum Authores inter ſe non conveniunt. Id tamen juxta omnes certum, Dismam noſtrum, etſi fors Judæus

fuerit, vitam vixiſſe Gentilium ſimillimam. Interim eorum Scriptorum, qui illum Gentilibus annumerant, potior eſt numerus, inter quos quidem eſt author libri *de vita eremitica*, qui exſtat inter opera S. Auguſtini, eſtque juxta Theophylum Raynaudum S. Anſelmi: item S. Chryſoſtomus *ſerm. 7. in addit. in Gen. tom. 2. Groecolat.* & *in hom. 2. de cruce & latrone*, ubi ita ſcribit: *In cruce duo latrones ſunt imago Judæorum, atque Gentilium. Latro, qui pœnitet, imaginem obtinet populi ex Gentibus congregati: ille vero imaginem obtinet Judæorum, qui usque in finem latro perſeverat.*

Ex his ſancti Chryſoſtomi verbis non improbabiliter inferunt graves Authores, nihil obſtare, quo minus Dismas natione Ægyptius fuiſſe credatur. Certe poſito, quod Gentilem ſibi ſocium Chriſtus in cruce eligere voluerit, pium eſt credere, illum Ægyptium fuiſſe, eo quod Chriſtus, qui per ſeptem annos in Ægypto moratus eſt, veriſimiliter illam hoc quaſi beneficio donare voluerit, ut unum ſaltem ex illa gente aſſumpſe-

ſumpſerit, qui primus & fructu & gloria redemptionis ſuæ gauderet. Quid quod aperte Salmeron *in Lucam*, Jacobus de Voragine *Serm. de SS. Innocent.* Silveira, Antonius de Eſcobar, & alii aſſerant, Dismam plane Ægyptium fuiſſe, innitentes authoritati SS. Anſelmi, & Petri Damiani, uti & Dionyſii Carthuſiani, quando ex iſtis narrant, Matrem Virginem cum Filio & Sponſo ſuo Joſeph in Ægyptum proficiſcentem incidiſſe in latrones, quorum unus pueri Jeſu & aſpectu delectatus dixit: Vere dico vobis, ſi fieri poſſet, Deum carnem noſtram aſſumere, aſſererem hunc puerum Deum eſſe; & ſic ſocios ſua adhortatione placatos induxit, ut Matrem, ac puerum illæſos dimitterent: & hic fuit Dismas latro. Ita hi Authores: hiſtoriam tamen ipſam ab iis relatam nolim propugnare, cum ſciam non deeſſe, qui illam inter fabulas numerent, utpote deſumptam ex Evangelio ſic dicto Nicodemi, quod certe in Eccleſia nullam vel modicam authoritatem habet. Mihi

Digitized by Google

ſufficit, S. Chryſoſtomum aliosque graviſſimos Authores Dismam inter Ægyptios numerare, quidquid demum ſit de veritate, vel falſitate hiſtoriæ primum relatæ. Atque hæc de vita boni Latronis, utique pauca. Nunc pergamus ad ejus mortem ſanctiſſimam, qua intellecta, de ejus vita nil admodum eſt, quod curioſi indagemus. *Scire piget poſt tale decus, quid fecerit ante.*

§. 2.

De ſancti boni Latronis morte in cruce.

Quando ad carcerem nequam hic, ſceleratus, & latro Jeroſolymas pervenerit, & quamdiu in eo permanſerit, nil hic referre poſſumus, cum horum nullam ſacra Scriptura, aut alius Author quispiam mentionem faciat. Itaque ad ejus ſupplicium accedamus.

Orſus eſt ſupplicium a flagellatione, idque certum eſt omnibus Authoribus; hunc enim morem in iis, qui ad crucem condemnabantur, obſervatum fuiſſe a Judæis & Roma-

Digitized by Google

Romanis Philo & Joſephus paſſim in ſuis libris aſſerunt.

Flagellatione peracta Chriſtum in montem Calvariæ crucem ſuam humeris gerens ſecutus eſt. Montem ubi tenuit, recepta jam conſuetudine veſtibus ſuis penitus, uti ipſe Chriſtus, ex plurium Patrum ſententia nudatus, & clavis cruci ſuæ affixus eſt, clavis, inquam, non tantum funibus, uti aliqui pictores fingunt. Hæc cerre eſt antiqua Eccleſiæ fides, ait Theophilus Raynaudus in ſua *Metamorphoſi Latronis*, de qua nemini unquam in mentem venit, ut ambigeret, præterquam heri ac nudius tertius germano cuidam ſemiſopito ſectario apud *Prateolum*, *verbo: Joannes Weſtphalus.*

Porro crucifixionem hanc æque ac Chriſti non in cruce erecta ſed humi jacente peractam eſſe, longe veriſimilius eſt, eoquod confixio in cruce jam erecta longe eſſet operoſior. Clavos quoque non tantum tres ſed quatuor adhibitos fuiſſe itidem longe probabilius eſt. Certe pedem pedi impo-

ſitum uno eodemque clavo configere, labor nimius & incommodus eſſe videtur. Hoc modo crucifixus latro in altum elatus eſt, ipſaque crux cum enormi totius corporis concuſſione ſcrobi ad id paratæ immiſſa, & ad JESU dexteram collocata eſt, ut conſtans ſanctorum Patrum traditio eſt. Accedit, quod antiquiſſimæ picturæ bonum Latronem ſemper a dextris Chriſti pendentem exhibeant.

Jam expediamus, quæ in cruce bonus latro egerit. Hucusque ſane latro erat, & orco proximus. Fuitne autem & in cruce? Sane fuit, ſi Chriſtum ſibi proximum blasphemavit. Et vero S. Matthæus ait, easdem blasphemias, quibus JESUM Judæi petebant, eum effudiſſe: *Idipſum autem latrones improperabant ei.* Similia fere habet Marcus: *Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.* Hæc Marcus & Matthæus. Lucas vero diſerte ait, unum duntaxat ex latronibus Chriſtum blasphemaſſe: *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum di-*

cens

Digitized by Google

cens &c. & immediate ſubjungit : *reſpondens autem alter increpabat eum, dicens &c.* Ex hac apparente Evangeliſtarum diſſenſione factum eſt, ut ſancti Patres aliique graves Authores inter ſe diviſi ſint. S. Chryſoſtomus *hom. de latr. ſalu.* ait, probabiliter Latronem hunc noſtrum ab initio Chriſtum blasphemaſſe: *Probabile eſt, initio quidem ipſum conviciatum fuiſſe.* Ejusdem opinionis ſunt S. Hieronymus, Theophylactus, Eutymius, S. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus, & Origenes apud Cornelium de Lapide *in c. 23. Lucæ.* His omnibus adſtipulatur quoque citatus jam ſupra Theophilus Raynaudus cum multis ſacræ Scripturæ Interpretibus, ex quorum quidem ſententia, ſi vera ſit, & converſio Latronis apparet mirabilior, & miſericordia divina glorioſior. Altera ſententia e diametro oppoſita eſt SS. Auguſtini, Ambroſii, Epiphanii, Anſelmi, plurimorumque aliorum cum doctiſſimo Suarezio defendentium, a Disma Chriſtum nunquam blasphematum fuiſſe, tum quod S. Lucas

aperte aſſerat, unum tantum e latronibus Chriſtum conviciatum fuiſſe, tum quod ex textibus SS. Marci & Matthæi in plurali de latronibus loquentium nil admodum erui poſſit. Certe non modo in Scriptura, uti in Salmerone videri poterit *tomo* 10. *tract.* 40. ſed paſſim etiam a nobis ſæpius numerus pluralis ſumitur pro ſingulari. Sic, ſi quis v. g. Nobilis a ruſtico vel unico irrideatur, ſolemus dicere: Nobilis hic vel a ruſticis irridetur, licet unicus fuerit, qui illum irriſerit. Me quod attinet, malim cum his ultimis Patribus & Autoribus ſentire, tum quia numero longe plures, quam priores, ſunt, tum quia preſſius ſic inhæreo ſancto Lucæ, cui etiam preſſius inhærendum eſſe puto, quod hic Evangeliſta fuſius & enucleatius, quam reliqui Evangeliſtæ, hiſtoriam boni Latronis conſcripſerit.

Audiamus nunc reliqua de optimi noſtri Latronis converſione. Converſionis formalis, & intrinſeca cauſa utique fuit gratia illuminans & intellectum, & movens voluntatem

Digitized by Google

tatem Latronis. Fuit autem hæc converſio ſane extraordinaria; hinc paſſim a ſanctis Patribus vocatur miraculum, & abyſſus gratiæ; unde merito doctiſſimus Raynaudus noſter in *Metamorphoſi* Latronis c. 4. ita loquitur: *Plane ſive hujus peccatoris ad cor redeuntis perſonam, ſive Chriſti, in quem credidit, ſtatum, ſive reliqua adjuncta ſpectavero, nullum cenſuerim fuiſſe unquam illuſtrius ſpecimen virium gratiæ in tam expedita converſione cauſanda.* Porro hæc gratia, quæ ad converſionem Latroni data eſt, fuit prima, uti aſſerunt Patres, & nominatim inter hos S. Auguſtinus *ſer.* 120. *de tempore* ait: *Ergo etiam ex hoc in extremo placuit Latro Deo, quia ad conſequendam fidem non fuit extrema hora illa, ſed prima.* Ex quibus quidem luculenter apparet, quod obiter duntaxat inſinuo, quantum ex hoc vel ſolo æſtimandus ſit hic Latro, qui ſtatim primæ gratiæ cooperatus eſt, dum reliqui peccatores etiam in ſinu Eccleſiæ, & a probis parentibus ab unguiculis educati non raro millenas, & millenas reſpuunt. Neque tamen dixero,

nullas

Digitized by Google

nullas alias gratias ante hanc, quam SS. Patres *primam* vocant, pulſaſſe cor Latronis, ſed nempe communes duntaxat, quales paſſim ſolent a Deo offerri grandibus etiam peccatoribus, ad converſionem tamen illorum ſufficientes; unde Patres, quando eam gratiam Latroni datam vocant primam, ſolummodo per eam intelligunt primam *extraordinariam*; neque extraordinaria converſum fuiſſe Latronem, illius gloriæ, aut merito quidquam derogat, cum & libere huic primæ cooperatus fuerit, & nos, qui hæc legimus, & innumeri alii non tantum unam extraordinariam, ſed fors centenas & plures duro corde rejecerimus, & adhuc rejiciamus.

At quæ occaſio ab externo fuit converſionis Latronis hujus noſtri, qua præcedente vel concomitante, Deus interna illa gratia extraordinaria intellectum Latronis illuminavit, & voluntatem ejus expugnavit? Reſpondeo, varios variam aſſignare. Non pauci, inter quos ſancti Clemens Romanus,

Chry-

Digitized by Google

Chryſoſtomus, Athanaſius, Hieronymus putant eam petendam eſſe ex tot mirabilibus, quæ e cruce ſua viderit Latro, nempe ſolem tenebris obductum, terram trementem, mortuos reſurgentes &c. Verum nequit opinio hæc ſubſiſtere, ut Cornelius a Lapide bene his verbis notat: *Mirum eſt hos Patres non advertiſſe, hanc ſententiam pugnare cum Evangelio, quia exceptis tenebris, cætera acciderunt jam mortuo Chriſto; ſolis autem defectio & tenebræ poſt Latronis converſionem a ſancto Luca narrantur.* Itaque alii confugiunt ad umbram Chriſti in Latronem incidentis, qua permotus æternus Pater eundem gratia peculiari donaverit. Et vero, ajunt hi Autores, ſi umbra Petri plura corpora ſanavit, cur non animam Latronis umbra Chriſti eum tangentis ſalvare potuit? profecto ſatis certum eſt, Chriſtum facie ſua verſus occaſum proſpexiſſe, ut tradit Joannes Molanus *libro ſexto de imaginibus* ex S. Damaſceno, Beda, & Sedulio. Unde & mos inolevit, ut antiqui Chriſtiani teſte Tertulliano & Origene inter

oran-

orandum verſus ortum ſe converterent, ut nimirum Chriſti faciem e diametro ſibi oppoſitam haberent. Si autem Chriſtus verſus occaſum proſpexit, circa ſextam horam, ſeu meridiem, antequam obſcuratus ſol fuit, umbra mediante corpore Chriſti procreata, a ſiniſtra ad dexteram, ſeu ab auſtro ad boream porrigebatur, & proin incidebat in Latronem dextrorſum pendentem. Hæc ſententia uti falſitatis argui nequit, non plus tamen evincit, quam quod intuitu hujus umbræ ab æterno Patre Latroni gratia converſionis dari potuerit, minime tamen, quod data fuerit. Alia ſententia eſt eorum, qui converſionem boni Latronis precibus Matri JESU prope crucem ſtanti adſcribunt. Hujus opinionis ſunt Spinelli in ſuo *opere de Deipara*, Novarinus in *umbra virginea*, Salmeron *tomo* 10. *tract.* 40. cum aliis non paucis, uti citatus Novarinus *Excurſ.* 76. *n.* 718. teſtatur in hæc verba: *Bonus ille Latro, qui cum Chriſto pendebat in cruce, multorum ſententia, Virginis præcipue precibus ad Chriſtum converſus eſt.*

Digitized by Google

eſt. Et vero vel ſola præſentia Mariæ quantum prodeſſe poterat huic Latroni? Nunquid præſente Maria in nuptiis Canæ Galileæ aqua in optimum vinum converſa eſt? Cur ergo præſente ad crucem Maria improbus Latro non converſus fuerit in virum longe alterum, imo ſanctum? Verum utut hæc fieri potuerint, cur potius Mater JESU oravit pro bono Latrone noſtro quam ſocio ſuo? Ad hanc quæſtionem reponunt aliqui, Diſmam merita præ altero latrone ſibi apud magnam DEI Matrem collegiſſe, eo quod JESULUM infantem, cum in Ægyptum pergeret, a cæde ſervaverit. At quid de hiſtoria hac ſentiendum ſit, jam ſupra indicavi. Rectius ego exiſtimarim, Matrem divinam uti pro omnibus peccatoribus, ita utroque Latrone oraſſe, ut proin hæc oratio pro bono Latrone, quantum ex parte divinæ Matris eſt, nil ſpeciale in ſe habere potuerit, ut permoverit Deum ad gratiam peculiarem potius Diſmæ quam ſocio ſuo concedendam. Id tamen ultro concedo, quod certiſſimum

qui-

Digitized by Google

quidem mihi eſt, Virginem beatiſſimam peculiariter pro bono Latrone, & quidem ferventiſſime oraſſe, ſed nempe tunc primum, quando illum e cruce audivit JESU Filii ſui advocatum agere. Verum eo tempore Latro jam erat converſus, ut adeo, quando ſpecialiter pro illo Maria preces fudit, non jam converſionem, ſed augmentum gratiæ, imo cumulum gratiarum pro tam eloquente Filii ſui Patrono flagitaverit, qui unus ex omnibus coram immenſa hominum multitudine in monte Calvariæ pro eo imperterrite peroravit. Referamus jam ultimam circa cauſam extrinſecam converſionis Diſmæ ſententiam. Eſt hæc Cornelii a Lapide plurimorumque aliorum, qui non modo internam converſionis gratiam, ſed etiam externam illius occaſionem, vel cauſam ſoli Chriſto in cruce pendenti adſcribunt. Et vero quid non in animum Latronis poterant exempla JESU Chriſti? quid patientia, quid manſuetudo, quid oratio illa cum caritate plane heroica, & divina pro inimicis,

aliæ-

aliæque heroicæ virtutes? addo, quid non potuit vel ſolus JESU Chriſti benignus in Latronem intuitus? certe antiquiſſimæ picturæ conſtanter exhibent Chriſtum verſus dexteram partem, id eſt verſus Latronem faciem ſuam obvertentem. Reſpexit JESUS Petrum peccantem, & illico lachrymas doloris effudit Petrus. An non hoc ipſum licebit factum credere in Latrone? Verum & hic aliqui dicent, fieri hæc potuiſſe, ſed factum eſſe non probari. At hoc non obſtante malim huic ſententiæ præ reliquis adſtipulari, eo quod ſic Chriſto ſoli totus honor & gloria converſionis Latronis deferatur. Et ſane illa die nuptiali, qua JESUS in cruce quaſi thalamo ſedebat, quidquid illi deferri poteſt, deferendum eſſe videtur.

His jam expeditis videamus virtutes boni Latronis. Eæ colliguntur ex his verbis Evangeliſtæ Lucæ c. 23. *Unus autem de his, qui pendebant Latronibus, blaſphemabat eum dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum,*

& nos. Reſpondens autem alter (nimirum Diſmas) *increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es; & nos quidem juſte, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali geſſit. Et dicebat ad JESUM: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi JESUS: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.* Quam multæ, quam grandes virtutes heroicæ paucis hiſce verbis narrantur ab Evangeliſta? verum nolim eas hic deducere; patebunt eæ clarius in ſubjecta Novendiali devotione, in qua ex ſolis ſanctis Patribus graviſſimisque Scriptoribus aliis, quin ego ipſe quidpiam addiderim, boni Latronis virtutes ſuo in ſplendore collocabuntur.

Nunc denique ad ipſam mortem Latronis pervenimus, de qua tamen id unum referre licet, quod mortuus ſit, poſtquam ipſius crura fuere fracta: *Judæi ergo, quoniam Paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus dies illa Sabbathi) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tol-*

Digitized by Google

& tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad JESUM autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & aqua. Joann. 19. Cæterum bonum Latronem non ſtatim in ipſa crurium fractione; ſed primum aliquo poſt eam tempore ſpiritum emiſiſſe, poſtquam nempe latus Chriſti vulneratum vidit, aſſerit S. *Auguſtinus c.* 10. *de origine animæ: Non incredibiliter*, ait, *dicitur Latronem* (vivum utique, neque enim mortui baptizantur) *aqua illa, quæ de vulnere lateris Chriſti emicuit, tanquam ſacratiſſimo baptismo fuiſſe perfuſum.* Auguſtino conſentit S. Chryſoſtomus *in oratione habita ab reditu ſuo Conſtantinopolim tom.* 5. ubi hæc habet: *Philippus baptizavit in via, Paulus in vinculis, Chriſtus in cruce Latronem ex vulnere.* Huic ſententiæ videtur etiam ſubſcribere doctiſſimus Manſi *in ſua Bibliotheca morali tract.* 65. *diſc.* 9. Verum licet concedam, bonum Latronem viventem adhuc latus

Digitized by Google

Chriſti vulneratum vidiſſe, ejusque aqua & ſanguine perfuſum fuiſſe, perfuſionem tamen hanc verum aquæ baptismum fuiſſe dici haud poteſt; ut bene advertit Salmeron: *neque enim illa aqua erat baptismalis, nec ulla verborum forma adfuit, nec interrogatio, ſi vellet baptizari.* Inter quos & quam intenſos, & quam continuos virtutum actus & affectus bonus Latro mortuus fuerit, quibus ipſis maxima ſibi merita collegit, facilius eſt cogitatione aſſequi, quam verbis exprimere. Qui de his plura veriſimillima volet legere, adeat Patrem Binet in ſuo unctione pleniſſimo libello *la Converſione de buon Ladrone c.* 11. *italice reddito ex lingua gallica Romæ* 1638. Nunc adhuc dicendum quid eſſet de actis poſt mortem Latronis. Verum id unicum conſtat, corpus illius unacum ſua cruce juxta legem, quæ crucifixos ſpectabat, in ipſo monte Calvariæ die Veneris ſancto ſub veſperam terræ infoſſum fuiſſe, ubi per tres dies latuit, anima ſtatim a morte in limbum, quo Chriſtus jam prius abierat, properante, ut brevi dicemus.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3.

De ſancti boni Latronis gloria in cœlo.

Magnam ſane hanc eſſe conſtat vel ex ſolis verbis Chriſti, quando Latroni dixit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Ergo Latro, qui ſceleribus a primis unguiculis collo tenus immerſus erat, & vix unius aut alterius horæ pœnitentiam egit, jam ſatisfecerit pro enormibus ſuis flagitiis? Ergo Latro hodie adhuc fruatur viſione & gloria beatifica, & quidem in gradu reſpondente ſatisfactionibus ſuis, quæ plane ingentes fuiſſe debuerunt, cum non modo reatum culpæ, ſed & pœnæ omnis, etiam temporalis in purgatorio alias ſubeundæ extinxerint. Ita ſane eſt. At dicet forſan quisquam, Chriſtum dixiſſe: *Hodie:* non autem: *ſtatim poſt mortem tuam*, proin credi poſſe, quod Latro hic poſt mortem ſuam prius in purgatorium, primumque in paradiſum ſub occaſum ſolis devenerit, ut adeo ſatisfactiones ipſius in hac vita non fuerint adeo ma-

gnæ, proin nec meritum, & gloria in cœlo, præſertim cum intenſio pœnarum in purgatorio etiam intra breve tempus potuerit eſſe ſumma. Ecce! quam nihil diſſimulem. Addo, aliquos forſan opponere, Latroni a Chriſto in cruce pendente plenariam peccatorum indulgentiam ex ſuperfluis antiquorum Patrum, vel propriis ſuis, id eſt, Salvatoris ſatisfactionibus conceſſam eſſe, vel etiam ſine ſatisfactionum harum applicatione gratuitam, puramque pœnarum condonationem illi factam fuiſſe. Verum unanimis ſententia eſt Theologorum & Patrum, ut Raynaudus habet, Latronem bonum nec per momentum purgatorium ſubiiſſe. Unus ſit præ omnibus aliis. S. Chryſologus *Sermone* 60. *Latro*, ait, *in ipſo momento mortis paradiſum invaſit.* Reliqua quoque objecta parum probabiliter afferuntur. Certe, ut idem Raynaudus notat, Chriſtus indulgentiarum diſpenſationem juxta ſenſum Eccleſiæ ſuis Vicariis reſervavit; condonationis autem puræ & gratuitæ nullum exemplum

plum uspiam habetur, ut adeo iſta in bono Latrone nullum locum inveniant, proin ſatis quoque certum ſit, bonum Latronem ſuis ipſummet ſatisfactionibus & purgatorios ignes plene evaſiſſe, & proportionatam his ipſis, cum in hac terra ſatisfactiones ſint ſimul meritoriæ, in cœlis gloriam promeritum fuiſſe.

Sed an re ipſa eadem adhuc die, qua mortuus eſt Latro, ad cœlos quoque, illum æternorum gaudiorum locum aſcendit? Reſpondeo cum omnibus Patribus, & Theologis negative; neque enim ante Chriſtum quispiam mortalium in cœlos penetravit. Certum autem eſt, Chriſtum poſt quadraginta primum a morte ſua dies in cœlos aſcendiſſe. Itaque quando Chriſtus Latroni promiſit hodie adhuc paradiſum, promiſit ſolum beatificam viſionem, quæ etiam ſine illo cœlorum habitaculo eſſe poteſt. Et hac ipſa fruita eſt boni Latronis anima, peracta jam in cruce redemptione, ſicut & reliqui Patres in limbo, ad quem Chriſtus

Digitized by Google

poſt mortem ſuam deſcendit, quique ob hanc ipſam cauſam, quod illius incolæ ibi Deum beatifice viderint, quamprimum mors Chriſti ſecuta eſt, merito paradiſus vocatus eſt, uti latius omnia hæc explicant cum Patribus Theologi. Atque hæc dixiſſe ſufficiat, ut intelligatur quanta ſit boni Latronis gloria in cœlo, & ex quibus concludere poſſumus cum ſancto Bernardino Senenſi, bonum Latronem eſſe *inter ſublimes Dei Principes collocandum, eſſeque de majoribus ac eminentioribus Sanctis paradiſi.* Quod ſi ſanctus bonus Latro etiam Martyr fuerit, uti plures Patres cum non paucis aliis Scriptoribus volunt, eoquod poſt confeſſionem divinitatis Chriſti in odium illius, Judæi mortem Latronis accelerarint, & crudelius illi crura fregerint, unde & S. Euſebius Epiſcopus Gallicanus *in hom. de Latr. bon.* ait: *Etſi pœna cœperit in Latrone, novo genere conſummatur in Martyre,* fruetur inſuper addita gloria, & aureola Martyris, & quidem primi, imo Regis Martyrum, quam tamen illi prærogativam no-

lim

lim pertinaciter aſſerere, cum ſciam feſtum ſancti boni Latronis, concedente Eccleſia, ſolum celebrari ſub titulo Confeſſoris, non autem Martyris, uti Benedictus XIV. ſummus Pontifex in ſuo opere *de beatificatione & canonizatione* habet, quamvis & dici poſſit, titulum Confeſſoris non excludere titulum Martyris.

Sed quid dicemus jam de corpore ſancti boni Latronis? An & illud cum Chriſto uti multorum aliorum, non tantum reſurrexit, ſed etiam cœlos aſcendit, ſicque æterna gloria fruitur? Theophilus Raynaudus id tuetur ex eo potiſſimum capite, quod cum alii Sancti cum Chriſto, teſte S. Matthæo c. 27. *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*, & proin etiam ad cœlos (quid enim facerent in terris?) aſcenderint, decuerit ſane, ut Chriſtus ſocium ſuæ paſſionis ſimili gratia donaret, præſertim cum etiam ad gloriam & triumphum Chriſti faceret, quod Latronem ſperatam ab orco victimam, cum anima & corpore eidem abla-

tam tanquam opimum ſpolium, & luculentum victoriæ in cruce reportatæ trophæum cœlis jubilantibus & intulerit, & magnifice oſtentarit, *atque ſic*, verba ſunt citati Raynaudi *c.* 13. *Sic Latro totus cum toto Chriſto eſſe dicitur, non dimidius duntaxat. Et Chriſti promiſſio quamvis effectum ſortita ſit quoad animam, tamen quod quoque ad corpus poteſt pertingere, quid eſt quod vetet exiſtimare, Chriſti beneficentiam illuc usque pertinuiſſe? Eccui vero congruentius ea immortalis vitæ prompta repenſio facienda fuiſſe videri poterit, quam illi, qui adeo impigre vocanti adhæſit, eumque omnibus blaſphemantibus ſtrenue æque, ac pie celebravit. Accedit, quod nuspiam ullæ ſancti Latronis exuviæ produntur, cum tamen veriſimile non videatur paſſurum Chriſtum, ut tantus theſaurus infoſſus terræ perpetuo jaceret, ſi vere exſtaret in terris.* Verum nequeo hic diſſimulare, quæ Raynaudo illiusque ſectatoribus de corpore boni Latronis in cœlos jam recepto opponi poſſunt. Lego nimirum in devotiſſimo authore libri italici, cui titulus: *l'Avvocato di Geſu Chriſto ſul Calvario* Cremonæ 1728. editi,

editi, & Reverendiſſimo Cremonenſi Epiſcopo dedicati, non modo hunc ipſum authorem, ſed multos alios in illius patria habere authenticas particulas ex oſſibus ſancti Latronis. Addit, ſimiles videri Bononiæ, & alibi, præſertim autem Neapoli in Eccleſia S. Georgii, quæ pertinet ad Patres, qui vulgo pii Operarii dicuntur. Ego ipſe, qui hæc ſcribo, vidi Landſpergæ ejusmodi particulam cum ſua authentica apud Dominum quemdam ſancto Latroni devotum.

Contra eundem Raynaudum eſt, quod multi Authores allegati a Cornelio a Lapide in Matth. c. 27. v. 57. teneant, Sanctos a morte Chriſti reſuſcitatos denuo ſua corpora, quæ quaſi veſtes pro die reſurrectionis Chriſti nuptiales erant, depoſuiſſe, & mortuos eſſe, reſurrecturos iterum in die judicii ad vitam æternam. Inter hos Authores ſunt S. Auguſtinus in *epiſtola 99. ad Evodium*, item Theodoretus, & S. Eutymius cum Doctore Angelico *in p.* 3. *q.* 53. *art.* 3. ex recentioribus Barradius, Franciſcus Luca, aliique.

Teſtatur

Teſtatur quoque S. Brigida *l. 6. c. 94. & l. 7. c. 6.* ſibi aliquando a beatiſſima Virgine dicta fuiſſe hæc verba: *Scias, quod nullum corpus humanum eſt in cœlo, niſi corpus glorioſum Filii mei, & corpus meum.* Huic ſententiæ etiam adſtipulatur in ſuo doctiſſimo italico opere ſæpius citato Joannes Maragnoni Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Anagnanienſis *libro* 1. *c.* 17. Et vero inter ea corpora, quæ juxta Raynaudum ejusque Præceſſores, etiam Patres, nominatim Origenem, Hieronymum, Bedam, Anſelmum, Clementem Alexandrinum, Euſebium Cæſarienſem, aliosque ſurrexerunt, & poſtea cum Chriſto in cœlos aſcenderunt, haud dubie fuiſſent corpora Sanctorum, qui Chriſtum vel parentela, vel alio modo propius attigerunt, v. g. S. Joannis Baptiſtæ, Annæ Matris Deiparæ, ſimiliumque. At enim de horum ipſorum Sanctorum corporibus non paucæ exhibentur in orbe reliquiæ, imo non modo horum, ſed multorum aliorum, quæ in veteri Teſtamento præclariſſimæ figuræ Chriſti erant,

v. g.

Digitized by Google

v. g. S. Abrahami, S. Iſaac &c. uti iſta prolixius legere eſt in citato jam eruditiſſimo Maragnonio, qui per triginta omnino annos recognitioni Reliquiarum Romæ interfuit. Cæterum quod in particulari reliquias oſſium S. Dismæ attinet, quæque ab aliquibus exhibentur, ſi fors aliquis pertinaciter inhæreat ſententiæ, multos Sanctorum cum ſuis corporibus, & inter hos Latronem bonum quoque cum ſuo aſcendiſſe cœlos, & Chriſtum triumphantem eo comitatum fuiſſe, debebit is dicere, ea oſſa Dismæ vel Dimæ nuncupati eſſe corporis alterius Sancti, idque pro more jam recepto, utpote incognitum, & ex cæmeteriis v. g. innumerorum Martyrum, qui ſub terra Romæ latent, extractum, baptizatum dein, ut vulgo dicitur, & nomen Dismæ vel Dimæ adeptum fuiſſe. Et vero de particula, quam Landſpergæ vidi, in authentica dicitur, eam eſſe S. Dismæ NB. *Martyris*, ut proin non dubitem, hanc ſaltem eſſe ex oſſibus baptizati alicujus Martyris, præſertim cum non addantur

hæc

hæc verba: *boni Latronis*, quæ tamen adduntur in particulis crucis hujus Sancti, quas ſaltem ego vidi. Accedit, quod Eccleſia verum ſeu non baptizatum S. Dismam colat ſub titulo Confeſſoris, non Martyris. His jam diſputatis, liberum erit cuivis circa gloriam etiam corporis boni Latronis ſentire, prout voluerit. Ad calcem hujus paragraphi id unicum addere liceat, Reliquias haſce & ſimiles, licet dubium ſit an vere tales ſint, pie coli poſſe; eo quod cultus non tam cadat ſuper reliquias, quam ſupra ipſum ſanctum Dei amicum, ut adeo nullus hac in parte quoad ſubſtantiam committatur error, ut bene advertunt Theologi, atque illi Authores, qui prolixe ſcripſere de reliquiis. Et vero quis improbare, imo quis probare non poterit, quod exempli cauſa duo capita ſancti Joannis Baptiſtæ in Eccleſia colantur, unum Romæ, alterum in urbe Amiens in Gallia, item duo corpora S. Marci Evangeliſtæ, unum Venetiis, alterum in Augia divite prope Conſtantiam, & ſic de plu-

ribus

ribus aliis, licet certum ſit, unicum duntaxat caput eſſe verum caput S. Joannis Baptiſtæ, unicumque duntaxat corpus S. Marci. Porro ſi nec unica particula oſſium ſancti boni Latronis, licet illius corpus in terra fors exiſtat, in orbe exhiberi poſſet, nil illud gloriæ magni hujus Sancti officeret. Profecto corpora tot aliorum Sanctorum exiſtunt in orbe, quorum uti ſepulchra ignorantur, ita nec reliquiæ ullibi habentur, & tamen nihilominus ut magni Sancti a tota Eccleſia coluntur.

§. 4.

De ſancti boni Latronis cultu in Eccleſia.

Cultum ſancti boni Latronis in Eccleſia tum occidentali tum orientali vigere aſſerit eruditiſſimus Pontifex ſummus Benedictus XIV. in præſtantiſſimo ſuo opere *de beatificatione, & canonizatione.* *Et vero*, ait doctiſſimus Maragnoni, *neſcio ſane, an Eccleſia habeat Sanctum, cui certius debeatur cultus & veneratio, cum ſolus hic Latro bonus fuerit viva vo-*

cis

cis oraculo ab ipſo Chriſto JESU ſummo Eccleſiæ Pontifice canonizatus, bulla canonizationis in ipſum Evangelium relata: Hodie mecum eris in paradiſo. Unde nec mirum, quod in demonſtranda boni Latronis ſanctitate, & gloria tantopere laboraverint & ingenia, & calami ſanctorum Patrum, nominatim Cypriani Martyris, Athanaſii, Chryſoſtomi, Baſilii, Gregorii Niſſeni, Joannis Damaſceni, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Bedæ, Laurentii Juſtiniani, Bernardini Senenſis: ex quibus ipſis quidem ſatis liquet, quanto in cultu jam a primis Eccleſiæ ſæculis Sanctus hic noſter habitus fuerit. Sed & ſæcula poſteriora non minus deſudarunt in bono hoc Latrone colendo, & ſcriptis ſuis celebrando. Ex innumeris fere Authoribus, a Maragnonio relatis, qui de ſancto Latrone ſcripſere, aliquorum duntaxat hic mentionem facere juvat. Primus eſt ipſe Maragnonius, qui de bono Latrone tam præclare, & tam pie ſcripſit, ut vix putem illius librum absque lachrymis, & quin lector

ad

ad ingentem Sancti hujus æſtimationem, & amorem excitetur, legi poſſe. Secundus eſt P. Stephanus Binet, Societatis noſtræ Provinciæ Franciæ Præpoſitus Provincialis, qui, dum in laudes boni Latronis ſolidiſſime excurrit, ipſusmet totus amore Sancti conflagrare videtur. Adeo abundat tenerrimis erga eundem affectibus, qui non ex alio corde quam devotiſſimi amoris pleniſſimo proficiſci poſſunt. Tertio loco eſt in omni eruditione verſatiſſimus Theophilus Raynaudus Societatis noſtræ, qui *tomo* 9. in *Metamorphoſi Latronis in Apoſtolum* conſcripta a ſe Lugduni, cum ibidem peſtis graſſaretur, exhauſit unus ſatis grandi volumine fere omnia, quæcunque de bono noſtro Latrone aut quæri, aut dici poſſunt.

A Scriptoribus bono Latroni devotis pergamus ad ulteriorem illius cultum in Eccleſia. Ut nil dicam fieri boni Latronis memoriam tum in Martyrologio Romano, tum in variis græcis, aliisque præſertim Uſuardi, & in manuſcripto antiquo Floriacenſi, ut

habet Bollandus, Feſtum ſancti boni Latronis non tantum in aliquibus Belgii, & Galliæ urbibus, ſed etiam ab integris regnis & ordinibus religioſis cum officio canonico, & miſſa celebratur. Certe officium proprium & propria miſſa de hoc Sancto conceſſa ſunt non tantum omnibus Catholicis regni Sueciæ, ſed & toti regno Poloniæ, ubi feſtum boni Latronis, uti ego ipſe in Directorio Patrum noſtrorum, qui ex Polonia per Germaniam tranſiere, meis oculis legi, Dominica infra octavam aſcenſionis Domini ſub ritu duplici colitur. Porro, ut Benedictus XIV. teſtis irrefragabilis *l.* 4. *p.* 2. *c.* 12. *n.* 10. in opere ſuo *de canonizatione Sanctorum* habet, *etiam in religione Patrum beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum ex conceſſione Sixti V. in honorem boni Latronis recitatur officium proprium. Congregatio item Patrum, qui pii operarii vocantur, & ipſa ſanctum bonum Latronem peculiarem ſibi Patronum & Advocatum elegit; experti enim fuerunt Presbyteri dictæ Congregationis multas peccatorum converſiones ejus in-*

terceſ-

terceſſione factas fuiſſe in ſacris Miſſionibus, quocirca ſupplicaverunt ſacræ Rituum Congregationi, ut officium jam conceſſum Religioni de Mercede extenderetur ad ſuam Congregationem. Quam quidem extenſionem etiam indulſit eadem Congregatio die 23. *Septembris* 1724. Ita ſummus Pontifex Benedictus XIV.

Sed necdum finis eſt cultus amabiliſſimi Sancti. Plura illi erecta viſuntur & ſacella & altaria variis in regnis, inter quæ celebre eſt altare & ſacellum a Reverendis Patribus piis operariis erectum Neapoli in templo S. Georgii, ubi feſtum boni Latronis ſplendidiſſime celebratur 24ta menſis Aprilis. Cremonæ quoque apud Reverendos Patres Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii cernere eſt ſumptuoſiſſimum altare cum artificioſiſſima ſtatua boni Latronis, quæ modo Auguſtæ a celeberrimis Klauberis fratribus æri inciſa eſt. Ibidem viget Confraternitas cultui ſancti Latronis unice intenta, uti teſtatur Maragnonius ſæpius citatus *libro* 1. *c.* 19.

Omittere hic non poſſum etiam Interamni, ſeu vulgo Terni florere ingentem devotionem erga hunc Sanctum in templo Societatis JESU, ubi coram imagine Sancti & expoſita particula ſatis magna ſanctæ Crucis, in qua bonus Latro exſpiravit, & cujus etiam mihi portio aliqua unius e noſtris interamnenſibus inſigni beneficio ante aliquos annos obvenit, ubi, inquam, quot annis in honorem dicti Sancti Triduum exigitur præſente expoſito ſanctiſſimo Sacramento inter varias de eodem Sancto ſacras meditationes cum ingenti hominum accurſu, parique fructu. Dum iſta ſcribo de noſtris Interamnenſibus, addere liceat, me alios e Societate noſtra eosque non paucos noſſe, qui quotidiano cultu bonum Latronem venerantur. Novi quoque ex aliis ordinibus religioſis, qui Sancto huic inſigniter devoti ſunt, ſed & viros ſæculares, atque inter hos & ſanguine, & dignitate conſpicuos.

Tacere hic Germaniam noſtram nefas eſſet. Scio hunc optimum Latronem a variis

riis etiam in Bavaria, Suevia, Franconia, Auſtria coli, erectis ibidem altaribus, ſparſis quoque variis libellis, & imaginibus, quales etiam præter Klauberos artifex manus Gözii & Verhelſtii Auguſtanorum ſane elegantes elaboravit.

Inter Clientes boni Latronis liceat hic numerare venerabilem matrem Creſcentiam anno 1744. in fama ſanctitatis Kauffburæ mortuam, & cujus modo ſepulchrum ab innumeris viſitur, frequentibus etiam beneficiis celebratum. De hujus venerabilis Matris erga Sanctum noſtrum cultu, quem fama prius acceperam, cum per literas quærerem ex illius olim conſcientiæ arbitro, reſponſum accepi in hæc verba: *Quam certiſſimum eſt, matrem Creſcentiam ſancto Dismæ fuiſſe quam addictiſſimam.* Primo, *ſuis Novitiis identidem tenerrimum erga Sanctum hunc amorem inculcabat.* Secundo *curavit, ut nomen ſancti Dismæ in baptismo aliquibus imponeretur.* Tertio *juſſit, ut ego morienti præirem, ac edicerem nomina omnium ſuorum ſanctorum Patronorum, inter quos*

 & ſan-

& ſanctus Dismas fuerat. Quarto *Domino cuidam Parocho ſuaſit, ut Sanctum hunc eligeret in Patronum, ne deinceps illi pecuniæ cleperentur, id quod factum fuerat ſæpius. Paruit Parochus monenti. Ab eo tempore nec obolum deſideravit. Idem fere aliis duobus poſt invocationem ſancti boni Latronis contigit.* Quinto *libellum de Sancto hoc imprimi curavit.* Ita ille. Porro libellus hic non eſt alius, quam idem ipſe, qui jam anno 1671. Monachii a Religioſo quodam Ordinis S. Birgittæ eſt editus, & jam ſecunda vice prodiit typis viduæ Labhartianæ Auguſtæ ſub titulo: **Weggefährt für die lange Ewigkeit**, recuſus quoque ſæpius Viennæ in Auſtria tum in lingua germanica, tum latina.

Clientibus S. Dismæ addi merito poteſt ſanctus Ado, celebris ille Martyrologii editor, & Epiſcopus Viennæ in Gallia, qui peculiariter addictus fuit tribus ſanctis pœnitentibus, Magdalenæ, Petro apoſtolo, bono Latroni, illisque, uti teſtatur noſter P. Bonnefons *tomulo quarto vit. Sanct.* & P. Croiſet

tomo

tomo 12. in Exercitiis pietatis ad diem 16. Dec. ſacellum ædificavit, in quo Deus grandia & multa patrat miracula.

Verum ſatis eſt, quod bonus Latro ab ipſo Chriſto JESU ſpecialiter cultus & honoratus fuerit. Ut nil dicam, quod ipſum tanquam ſocium ſui triumphi in cruce reportatæ elegerit, & ad latus ſuum mori voluerit, adhæc variis miraculis, præſertim converſione peccatorum, uti ſupra ex Patribus, piis operariis dictis, intelleximus, glorioſum faciat, illum quoque ſibi ipſi aliquando ſubſtituit, ut loco ſui ingens miraculum in ſancto Porphyrio Epiſcopo Gazæ patraret. Referam hoc ex vita Sancti hujus conſcripta a Marco Diacono illius familiari, quæque exſtat apud Bollandiſtas ad diem vigeſimam ſextam Februarii. Verba Marci prodigium narrantis ita habent: *Cum ſpatio duodecim dierum veniſſem in emporium Aſcalonis, & illuc jumenta conduxiſſem, aſcendi in ſanctam civitatem Hieroſolymas. Cum me autem ibi adſpexiſſet vir beatiſſimus Porphyrius, me amplexus*

 eſt

eſt cum gaudio & lacbrymis; ego vero ipſum non cognoſcebam; habebat enim corpus valde honeſtum, & faciem rubicundam, (ſuperius narraverat, Porphyrium præ gravi infirmitate vix reptare potuiſſe) *volvebam autem meos oculos ipſum frequenter intuens. Ipſe vero cum animadvertiſſet, & ſubriſiſſet, placide dixit: Ne mireris, frater Marce, me videns ſanum & robuſtum. Sed diſce cauſam ſanitatis, & tunc admirere Chriſti benignitatem ineffabilem, & quemadmodum, quæ ſunt plane deſperata apud homines, facile poſſint apud ipſum corrigi. Ego vero rogavi ipſum, ut mihi diceret cauſam ſanitatis, & quemadmodum talem morbum propulſaverit. Ille autem mihi reſpondit: Quadraginta abhinc diebus cum eſſem in vigilia ſanctæ Dominicæ, me invaſit dolor, quem cum ferre non poſſem, ivi, & recubui prope Calvariam, & cum præ magno dolore eſſem velut in ectaſi, video Servatorem clavis affixum in cruce, & unum ex latronibus cum ipſo pendentem in alia cruce, & incipio clamare, & dicere vocem Latronis: Memento mei Domine, quando veneris in regnum tuum. Reſpondens autem*

Ser-

Digitized by Google

Servator, dixit Latroni pendenti: Deſcende de cruce, & ſerva illum, qui recumbit, quomodo tu quoque fuiſti ſervatus. Latro vero deſcendens de cruce me complexus fuit, & deoſculatus, & porrecta dextera me fecit ſurgere, dicens: Veni ad Servatorem. Et ſtatim ſurrexi, & eucurri ad eum, & video ipſum deſcendiſſe de cruce, & mihi dicere: Accipe hoc lignum, & ſerva. Cumque accepiſſem, & portaſſem hoc pretioſum lignum, ſtatim ad me redii ab ectaſi. Et ab ea hora nullus mihi dolor fuit amplius, neque apparuit locus morbi. Hucusque hiſtoria ſane ſolatio plena pro omnibus iis, qui etiam in ſuis corporalibus neceſſitatibus ad bonum Latronem volunt confugere, utpote qui a Chriſto ipſo medicus ægrotanti eſt aſſignatus; id quod de alio Sancto vix ullibi legetur.

Reſtat jam, ut de cultu agamus ſanctæ crucis, in qua bonus Latro exſpiravit. Inventa eſt hæc a S. Helena Imperatrice cum cruce Chriſti, & mali latronis, ut omnibus notum eſt. Eam poſtmodum, uti & crucem mali latronis cum aliis memorabilibus mo-

numentis e terra ſancta allatis Conſtantinus filius S. Helenæ in foro publico ſub columna porphyretica recondi juſſit. Poſt aliquod tempus crux boni Latronis ad inſulam Cyprum, probabilius poſtquam columna illa porphyretica corruit, ſub regimine Alexii Commeni, in monaſterium quoddam prope urbem Nicoſiam in monte ſirum delata eſt. Certe hanc ſe hic vidiſſe teſtatur Felix Fabri Ulmenſis cum plurimis aliis in ſuo itinerario, qui & addit, ut Gretſcherus habet *tomo* 1. *de ſancta cruce l.* 1. *c.* 99. communem eſſe perſuaſionem eam in ſublimi pendere ſine ullo retinaculo; non enim a curioſis quidem animadverti poſſe, a quonam crux illa retineatur in alto. Jam vero utrum hæc crux in inſula Cypro adhuc exſtet, poſtquam in Turcarum manus pervenit, an vero in tempore adhuc horum manibus erepta ſit, nullibi certi quidpiam invenire potui. Id duntaxat referre licet, Romæ in templo dicto ad S. Crucem Hieroſolymis publicæ venerationi exponi trabem transverſam

verſam crucis boni Latronis cryſtallo incluſam, quæ ipſa quomodo eo pervenerit, nullo authentico monumento deprehendere mihi licuit. Quæret autem hic aliquis, qua ratione crux boni Latronis, ut cultui exponi potuerit, diſcreta fuerit a cruce mali latronis. Hic quoque ſolidi quidpiam, quod reſpondeam, non habeo. Interim placet multorum veriſimillima opinio, probabilius miri quidpiam eam per crucem actum fuiſſe, haud aliter quam per crucem Chriſti, adeoque agnitam ſic crucem eſſe boni Latronis. Certe ſine ejusmodi miro eventu, vel ſaltem revelatione aliqua authentica publico cultui exponi non potuiſſet. Cæterum ſi verum ſit, quod antiqui inſulæ Cypri incolæ aſſeruere, crucem boni Latronis miſſam ad ſe fuiſſe jam a ſancta Helena, dicendum eſt, non integram crucem a Conſtantino filio Helenæ ſub dicta columna reconditam fuiſſe. Et forſan hæc ipſa recondita crucis portio fuit illa trabs transverſa, quæ modo Romæ colitur. Atque hic tandem

dem finis de cultu boni Latronis in Eccleſia. Ut porro nihil deſiderare poſſint Clientes hujus Sancti, qui curioſius omnia hunc Sanctum concernentia ſcire volunt, addam pro coronide Officium & Miſſam de hoc Sancto conceſſa Poloniæ & Sueciæ regnis. Subjungam denique Inſcriptionem ſepulchralem tumulo boni Latronis, quam inveni in præſtantiſſimo opere conſcripto de hoc Sancto a P. Theophilo Raynaudo Societatis noſtræ, utpote quæ & ipſa, uti ingenioſiſſima eſt, ita non modicam laudem Sancti hujus continet, inſuperque ſervire poterit concionatoribus, qui de bono Latrone aut volent, aut debebunt ad populum verba dicere.

OFFI-

Digitized by Google

OFFICIUM PROPRIUM SANCTI BONI LATRONIS, PATRONI REGNI POLONIÆ, ET SUECIÆ.

Dominica infra Octavam Aſcenſionis Domini.

DUPLEX.

Ad Veſperas.

Antiph. Latro Chriſtum crucifixum. cum reliquis de Laudibus. Pſal. Dixit Dominus. cum reliquis de Dominica; & loco ultimi Pſal. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Iſa. 59.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat.

HYM-

Digitized by Google

HYMNUS.

JESU corona celſior,
Et veritas ſublimior,
Qui confitenti ſervulo
Reddis perenne præmium.
Da ſupplicanti cœtui,
Hujus rogatu, noxii
Remiſſionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi,
Anni reverſo tempore,
Dies refulſit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Migravit inter ſidera.
Ut ſis perenne mentibus
Paſchale JESU gaudium;
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Ama-

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, alleluja.

℟. Stolam gloriæ induit eum, alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ait Latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus: hic autem quid fecit? Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, alleluja, alleluja.

ORATIO.

Omnipotens, & miſericors Deus, qui juſtificas impios, te ſupplices exoramus, ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus tuus beatum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam provoces, & illam, quam ei promiſit, tribuas nobis gloriam ſempiternam. Qui tecum vivit.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Chriſtum Regem crucifixum, qui Latroni in cruce paradiſum donat: Venite, adoremus, alleluja.

Pſalm. Venite, exultemus.

HYM-

HYMNUS. JESU corona celſior, ut ſupra.

In primo Nocturno, Antiph.

Beatus iſte Sanctus, qui confiſus eſt in Domino, & exauditus eſt de monte ſancto ejus, alleluja.

Pſal. Beatus vir, qui non abiit. Quare fremuerunt gentes. Domine, quid multiplicati ſunt.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum; alleluja.

℟. Stolam gloriæ induit eum, alleluja.

Lectiones dicuntur de Scriptura occurrente.

℟. I. Poſui adjutorium ſuper potentem: * Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum, alleluja. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

℟. II. Iſte cognovit juſtitiam, & vidit mirabilia, & exoravit Altiſſimum: Ipſe interce-

Digitized by Google

tercedat pro peccatis omnium populorum, alleluja.

℣. Iſte inventus eſt in numero Sanctorum. Ipſe intercedat.

℟. III. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, ſtolam gloriæ induit eum: Et ad portas paradiſi coronavit eum, alleluja. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas paradiſi. Gloria Patri. Et ad portas.

In II. Nocturno, Antiphona.

Innocentem exaudivit Dominus Sanctum ſuum; Dominus exaudivit eum, & conſtituit eum in pace, alleluja.

Pſal. Cum invocarem. Verba mea auribus. Domine Dominus noſter. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum, alleluja. ℟. Et ad portas paradiſi coronavit eum, alleluja.

Digitized by Google

Sermo S. Joannis Chryſoſtomi

Homil. 2. de cruce, & Latrone tom. 3. *Lectio IV.*

Scio & ante me dixiſſe de Latrone, ſed habet diverſas intelligentias Dei ſermo. Iſte Latro de Chriſto mercatur ſalutem: hic latro furatur cœleſte imperium. Vim facit majeſtati, non virtute propria, ſed fide vincens. Ipſius Domini vox eſt: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. In cruce duo latrones, imago Judæorum, & Gentilium. Latro qui pœnitet, imaginem obtinet populi ex Gentibus congregati, qui prius in errore ambulaverat, & poſt hoc veritatem agnovit. Imaginem vero latro ille obtinet Judæorum, qui usque in finem perſeverat latro. Et usque ad tempus quidem crucis in viam malignitatis ierunt: crux autem diviſit utrumque.

℟. Velum templi ſciſſum eſt. Et omnis terra tremuit: Latro clamabat de cruce, dicens: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, alleluja. ℣. Pe-

Digitized by Google

træ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, ſurrexerunt. Et omnis.

Lectio V.

Viam namque cæcitatis, & perditionis, qui non credit, ingreſſus eſt: viam autem ſalutis, qui credidit, adeptus eſt. In cruce didicit Latro differentiam viarum, quoniam novit Dominus viam juſtorum: via autem impiorum peribit. Et vide Dei juſtum judicium, ut dicas & tu cum propheta: Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Propter unum peccatum damnatur Adam, & propter unam fidei vocem Latro ſalvatur. Unum peccatum ejecit illum: & una juſtitia introduxit iſtum: & Latro habitator factus eſt paradiſi. O admiranda rerum materies! Nec Abrahæ data eſt per vocem repromiſſio paradiſi. Hæreditatur quidem per fidem: repromiſſionem autem paradiſi nemo ante Latronem accepit.

Digitized by Google

℟. Nemo repromiſſionem paradiſi ante Latronem accepit, cui Dominus in cruce dixit: Hodie mecum eris in paradiſo, alleluja, alleluja. ℣. Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Hodie mecum eris in paradiſo.

Lectio VI.

Iſte ergo vidit Salvatorem, non ſuper throno regali, non adorari in templo, non loquentem de cœlis, non per angelos diſponentem; ſed in pœna ſociatum Latroni: videt in tormentis, & tamquam in gloria adorat: videt in cruce, & rogat quaſi in cœlis ſedentem: videt condemnatum, & regem invocat, dicens: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Crucifixum vides, & fidem prædicas? in ligno pendere cernis, & cœlorum regna meditaris? O admiranda Latronis converſio!

℟. O admiranda Latronis converſio! crucifixum videt, & regem prædicat, alleluja.

℣. In

Digitized by Google

℣. In ligno pendere cernit, & cœlorum regna meditatur. Crucifixum. Gloria. Crucifixum.

In tertio Nocturno, Antiph.

Domine, iſte Sanctus habitabit in tabernaculo tuo, requieſcet in monte ſancto tuo, requieſcet in monte ſancto tuo, alleluja. *Pſal.* Domine, quis habitabit. Domine in virtute tua. Domini eſt terra. ℣. Hic accipiet benedictionem a Domino, alleluja. ℟. Et miſericordiam a Deo ſalutari ſuo, alleluja.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

Lectio VII. cap. 23.

In illo tempore: Unus de his, qui pendebant, latronibus, blaſphemabat Dominum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſii Epiſc.

ſerm. 49. *de S. Latrone.*

Quoniam hodie Evangelii Lectio de Latrone fecit mentionem, videamus quis

ille Latro ſit, qui in cruce Domino conſtituto, non ſolum peccatorum ſuorum veniam conſequitur, ſed etiam paradiſi amænitate donatur: ut qui propter ſcelera damnatus fuerat ad pœnam, propter fidem transferretur ad gloriam: fueritque illi crux, quam pertulit, non tam ſupplicii damnatio, quam ſalutis occaſio. In cruce enim poſitus, in Chriſtum Dominum credidit crucifixum. Et ideo, qui conſortio paſſionis utitur, conſortio paradiſi condonatur. Beatus enim Latro, dum ſupplicium patitur, regnum cœleſte conſequitur. Ecce reus dicitur, ſicut cui damnari illud tempus expetivit. Non enim perveniret ad gloriam, ſi non contraditus eſſet ad pœnam. Videamus, inquam, cur tantorum criminum reus tam cito a Salvatore paradiſum promeretur, cum alii multorum temporum lacrymis frequentibusque jejuniis, vix delictorum ſuorum veniam conſequantur.

℟. Iſte eſt beatus Latro, qui in cruce poſitus, Chriſtum Dominum noſtrum credidit

didit crucifixum: Et dum ſupplicium patitur, regnum cœleſte conſequitur, alleluja. ℣. Quem Judas Iſcariotes in hortulo paradiſi diſtraxerat, iſte in patibulo confitetur. Et dum.

Lectio VIII.

Magna, fratres, & multiplex cauſa eſt. Primum, quod iſte Latro devotione fidei tam repente mutatus eſt, ut præſentem pœnam deſpiceret, ac de futura veniam precaretur: & magis crederet utile ſibi eſſe, de æterno judicio petere, quam de temporali ſupplicio poſtulare. Reminiſcens enim ſcelerum ſuorum, & pœnitudinem gerens plus incipit dolere quod ſperat, quam ſentire quod patitur. Potuit enim, niſi de futuris amplius cogitaſſet, qui in Chriſtum ſemel crediderat, de præſenti magis ſupplicio deprecari. Deinde illud ad gratiam ejus majoris eſt meriti, quod in Chriſtum in cruce poſitum credidit, & paſſio, quæ aliis ſcandalum fuit, illi ad fidem profuit. Crucis enim paſſio multis ſcandalum fuit,

 ſicut

ſicut dicit Apoſtolus: Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. Recte ergo meretur paradiſum, qui crucem Chriſti non putavit eſſe ſcandalum, ſed virtutem: dicit enim idem Apoſtolus: Ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

℟. Iſte eſt, qui crucem Chriſti non putavit eſſe ſcandalum, ſed virtutem; ideoque paradiſum meretur: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluja. ℣. Iſte eſt, qui honorificat patientem, quem Judas prodidit oſculantem. Ipſe. Gloria Patri. Ipſe.

Lectio IX.

Recte plane & Dominus huic donat paradiſum, quia quem Judas Iſcariotes in hortulo paradiſi diſtraxerat, hic in crucis patibulo confitetur. Mira res! confitetur Latro, quem diſcipulus abrogavit. Mira, inquam, res: Latro honorificat patientem,

quem

Digitized by Google

quem Judas prodidit oſculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera prædicantur. Ait enim: Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Hæc eſt fidei plena devotio, ut cum de vulneribus Domini profluens ſanguis cernitur, tunc de poteſtate ejus venia poſtuletur. Cum videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus divinitas: cum morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur. Iſte enim fidelis Latro non credidit moriturum, quem annuntiat regnaturum: non putat ſubdendum inferis, quem dominaturum confitetur in cœlo: non arbitratur eum apud tartarum detineri, à quo ſe etiam poſtulat liberari. Cernat licet ejus hiantia vulnera, ſpectet ipſius ſanguinem profluentem: Deum tamen credit, quem reum neſcit: juſtum fatetur, quem non meminit peccatorem. Te Deum laudamus.

Digitized by Google

Ad Laudes, & per Horas, Antiph.

Latro Chriſtum crucifixum videbat, & regem invocabat, dicens: Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum, alleluja. *Pſal.* Dominus regnavit. Cum reliquis.

Antiph. Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, alleluja, alleluja. *Antiph.* Cum conturbata fuerit anima mea, Domine, miſericordiæ memor eris, alleluja, alleluja. *Antiph.* Salvum me fecit Chriſtus redemptor, quia dixit: Hodie mecum eris in paradiſo, alleluja, alleluja, alleluja. *Antiph.* Ille qui talis venit ex culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia, alleluja, alleluja, alleluja.

Capitulum. Iſai. 59.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat.

HYM-

Digitized by Google

HYMNUS.

JESU Redemptor omnium,
Corona confitentium,
In hac die clementius
Indulgeas precantibus,
Tui ſacri qua nominis
Confeſſor almus claruit.
Hujus celebrat annua
Devota plebs ſolemnia.
Hujus benignus annue
Confeſſionem nos ſequi:
Hujus precatu ſervulis
Dimitte noxam criminis,
Ut ſis perenne mentibus
Paſchale JESU gaudium;
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In ſempiterna ſecula, Amen.

Digitized by Google

℣. Vitam petiit a te, & tribuiſti ei Domine, alleluja.

℟. Gloriam, & magnum decorem impoſuiſti ſuper eum, alleluja.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ait Latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum, alleluja, alleluja.

ORATIO.

Omnipotens, & miſericors Deus, qui juſtificas impios; te ſupplices exoramus, ut benigno intuitu, quo Unigenitus tuus beatum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam provoces, & illam, quam ei promiſit, tribuas nobis gloriam ſempiternam. Qui tecum vivit.

Ad Tertiam, Antiphona.

Qui me confeſſus.

Capitul. Ecce non eſt abbreviata. ut ſupra.

℟. *bre-*

Digitized by Google

℟. *breve.* Amavit eum Dominus, & ornavit eum, alleluja, alleluja. Amavit.

℣. Stolam gloriæ induit eum, alleluja, alleluja.

Gloria Patri. Amavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum, alleluja.

℟. Et ad portas paradiſi coronavit eum, alleluja.

Ad Sextam, Antiphona.

Cum conturbata fuerit.

Capitulum. Iſai. 58.

Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum.

℟. breve. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum, alleluja, alleluja. Induit eum.

℣. Et ad portas paradiſi coronavit eum. Alleluja, alleluja. Gloria Patri. ℣. Hic accipiet benedictionem a Domino, alleluja. ℟. Et miſericordiam a Deo ſalutari ſuo, alleluja.

Ad

Digitized by Google

Ad Nonam, Antiph.

Ille qui talis.

Capitulum. Iſa. 58.

Tu autem Domine eruiſti animam meam, ut non periret: projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

℟. *brev.* Hic accipiet benedictionem à Domino. * Alleluja, alleluja. Hic accipiet. ℣. Et miſericordiam a Deo ſalutari ſuo. Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Hic accipiet. ℟. Vitam petiit a te, & tribuiſti ei Domine, alleluja. ℟. Gloriam, & magnum decorem impoſuiſti ſuper eum, alleluja.

In II. Veſperis ſancti boni Latronis omnia dicuntur ut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua, alleluja, alleluja.

Hucusque Officium canonicum de ſancto bono Latrone, quod modo in variis diœceſibus Poloniæ non tantum ſub ritu duplicis, ſed etiam duplicis majoris celebratur, uti legi in Directorio recentiſſimo ad me e Polonia allato, ut adeo credam in his diœceſibus lectiones primi nocturni de Sancto hoc non jam *de Scriptura occurrente*, ſed etiam proprias haberi.

MISSA

MISSA
IN FESTO S. BONI LATRONIS.

Introitus. Gal. 6.

Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra: per quem ſalvati, & liberati ſumus, alleluja, alleluja.

Pſal. 66. Deus miſereatur noſtri, & bedicat nobis. Illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. ℣. Gloria Patri.

Oratio.

Omnipotens, & miſericors Deus, qui juſtificas impios, te ſupplices exoramus, ut nos benigno intuitu, quo Unigenitus tuus beatum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam provoces, & illam, quam ei promiſit, tribuas nobis gloriam ſempiternam. Per eundem Dominum noſtrum.

Lectio Iſaiæ Prophetæ. Cap. 59.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat, neque aggravata

eſt

eſt auris ejus, ut non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum: & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti iniquitate: labia veſtra locuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem fatur. Non eſt, qui invocet juſtitiam, neque eſt, qui judicet vere: ſed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem, alleluja, alleluja. ℣. Dicite in gentibus: quia Dominus regnavit a ligno, alleluja. ℣. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera; quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere regem cœlorum, & dominum, alleluja.

Sequentia S. Evangelii ſecundum Lucam

Luc. 23.

In illo tempore: Unus de his qui pendebant, Latronibus, blaſphemabat Jeſum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos. Reſpondens autem alter

ter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juſte, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali geſſit. Et dicebat ad Jeſum: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo.

Non dicitur Credo, niſi venerit in Dominica.

Offertorium. Pſal. 117. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem: non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini, alleluja.

Secreta.

Hæc oblatio, Domine, quæſumus, ab omnibus nos purget offenſis: quæ in ara crucis etiam totius mundi tulit offenſam. Per eundum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum.

Præfatio. Qui ſalutem.

Digitized by Google

Communio. Per ſignum crucis, de inimicis noſtris libera nos Deus noſter, alleluja.

Poſtcommunio. Adeſto nobis, Domine Deus noſter: & quos ſanctæ crucis lætari facis honore, ejus quoque perpetuis defende ſubſidiis. Per Dominum.

INSCRIPTIO SEPULCHRALIS TUMULO S. BONI LATRONIS.

Viator!
Incidiſti in Latronem:
Siſtendus es.
Cave fraudem:
Plerisque Deum eripit,
Dum promittit.
Plures pie moriendo
peremit,
Quam impie vivendo.
Perditus ad nominis usque jacturam,
Libidine patrocinandi
Poſteris furatus eſt propriam
ſuam famam.

Vitam

Vitam ejus non aliunde cognoſcas,
Quam ex morte.

Ubique vagus, ubique profugus,
Ut inveniri ſemel a Deo poſſet,
Figendus fuit.

Per flagitia incitatus ad pœnas,
Infortunio ſuo felix
Pereundi occaſione ſervatus eſt,
In eadem cum innocentia
condemnatione,
Non cauſa.

Ejus locatus ad dexteram
Juſtus videri potuit,
Antequam eſſet.
Experientia diſcens,
Eſſe ſemper bonum in medio,
Sodalem arguens, ſe ipſum accuſans
Ab utroque receſſit extremo,
Dei abſolutus in foro,
quia condemnatus in ſuo,
Ex Reo Patronus, Accuſator, & Judex.

Digitized by Google

Omnium peritus viarum,
Deficiente die
Compendia ſalutis elegit.

Peregrino Regi ad anguſtias
Redacto miſericors,
Beneficiis eum adortus
Ad regni ſui deditionem coegit,
Ne tum quidem immemor
Artis ſuæ,
Cum propter illam periret.

Mutavit furti materiam
furacitate retenta.

Viatori Deo
Non profuit theſauros
Nuditate diſſimulaſſe.

Exeuntem de mundo
In aerem usque ſecutus
Adhæſit lateri,
Noctisque opportunitate uſus,
Quando jam non poterat manu,
furatus eſt halitu.

Clavis

Digitized by Google

Clavis David, cui primum eſſet uſui,
Quam Latroni?
Agnita illa eſt a ſeminece,
Nec eam nox, aut rubigo celavit
Oculis intenti ſemper furis
Ad claves.
Turbatum cœlum eſt,
Cum jam violenti raperent illud,
Gazisque ſuis timuit trepidum,
Cum eas cerneret
Furibus patuiſſe.
Fractis mox cruribus
Iter ſalutis ingreſſus,
Eo pedibus ſuis ſe non veniſſe convicia
Hauſto de Chriſti vicinia
Amore crucis,
Ita eidem adhæſit,
Ut ab ea fuerit
Fuſte pellendus.
Viator!
Bonum Latronem conjunge
Malo,
Ne noceat.

Digitized by Google

Inter utrumque
Inveniendus eſt Chriſtus.
Hæc gemina Pharos
Portum ſalutis quærentibus
Attendenda.

PARS SECUNDA.

NOVENDIALIS DEVOTIO,

cui additur
OFFICIUM cum variis PRECIBUS
ad
S. bonum Latronem.

Meditatio pro prima die.

De fide S. boni Latronis.

Quando Petrus negabat in terra, Latro confitebatur in cruce. Primus diſcipulus puellæ viliſſimæ minas tolerare non potuit, & Latro ſuſpenſus undique populum circumſtantem deſpiciens, oculis fidei cœlorum Dominum pura mente cognovit. *S. Chryſoſtomus tom. 3. ſerm. de Latrone.*

Fides

Fides Latronis coram divino examine majoris meriti habita eſt, quam multorum annorum gravis pœnitentia. *Eckbertus ſerm. 9. contra Catharos.*

Magna fides in illo Latrone fuit, & ſanctis Apoſtolis comparanda, niſi quod & forte præceſſerit. *S. Ambroſius ſerm.* 48.

Quæ iſtam fidem exhortatio perſuaſit? quæ doctrina imbuit, quis prædicator accendit? Non viderat prius ulla facta miracula, & tunc ceſſavit languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum, ea ipſa, quæ mox erant gerenda, non aderant, & tamen credit, & confitetur Dominum & regem, quem videt ſupplicii ſui eſſe conſortem. *S. Leo Magnus ſerm. de paſſ.*

In te, beatiſſime confeſſor, & martyr de totius mundi ſterilitate fidei reliquias collegit Chriſtus. Tu fugientibus diſcipulis, Petro negante, comes & ſocius paſſionis ejus fieri gaviſus es. Tu Petrus in cruce fuiſti; & Petrus in domo Caiphæ latro. *Drogo Hoſtienſis de ſacram. domin. paſſ.*

Hujus mira nimium fides, qui Chriſtum ab omnibus derelictum, publice condemnatum, afflictum, infirmum, opprobriis hominum, & contumeliis ſaturatum, & jam morti vicinum, & ipſe vicinus morti, a nemine doctus, a nullo præmonitus, Dei Filium & verum hominem credit, & ubi, qui ejus doctrinam audierant, miracula viderant, & paulo ante in cibum de manibus ejus ſanctiſſimis corpus illius ſumpſerant, fugiendo negabant, ipſe ſolus cum tacente Virgine, ipſum Dei Filium indubitata fide credebat, & ad ultimum usque ſpiritum conſtanter in animo ſuo retinebat. *S. Bernardinus Senenſis tom.* 1. *ſerm.* 55.

Huic Latronis fidei quid addi poſſit, ignoro. Titubaverunt, qui viderunt Chriſtum mortuos ſuſcitantem, credidit ille, qui videbat ſecum in ligno pendentem. Vere non invenit Chriſtus tantam fidem in Iſrael, imo nec in univerſo mundo. *S. Auguſtinus ſerm. de fer.* 3. *Paſch. & l.* 1. *de anima, & ejus origine c.* 9.

Cre-

Digitized by Google

Credidit Abraham Deo, ſed credidit ei de cœlis loquenti. Credidit Iſaias, ſed in gloria conſiſtenti. Credidit & Ezechiel, ſed ipſe Dominum ſuper Cherubim contemplatus eſt. Credidit & Moyſes, ſed de medio ignis loquenti. Iſte vidit Salvatorem non ſuper throno regali, non adorari in templo, non loquentem de cœlis, ſed in pœna ſociatum Latroni, videt in tormentis, & tanquam in gloria adorat, videt in cruce, & rogat quaſi in cœlis, ſed externe videt condemnatum, & invocat regem. *S. Chryſoſtomus hom. 2. de cruce & latr.*

Magna fides imo maxima fuit hujus boni Latronis fides. *Joſ. Manſi tom.* 3. *Bibl. mor. tract.* 65. *diſc.* 6. Vivacitas fidei in hoc Latrone magis, quam in ſancto Paulo relucet. *Idem ibidem diſc.* 7.

Meditatio pro ſecunda die.

De pœnitentia S. boni Latronis.

Latroni, ut ſe converteret (*ad pœnitentiam*) & magnus Sanctus fieret, unicum gratiæ lumen datum eſt, fuitque id in vita ſua uti primum, ita & ultimum. *Joannes Marangoni in ſuo præſtantiſſimo italico opere, cui titulus: l'ammirabile converſione di S. Diſma, conſider.* 1. NB. *per vocem illam* primum, *intelige lumen gratiæ extraordinariæ & ſpecialiter moventis.*

Plus facit Latro, quam teneretur: ſufficiebat tunc confiteri Deo in corde: ipſe confeſſus eſt etiam plurimis audientibus. *Joſephus Manſi loco ſupra citato diſc.* 4.

Obſervandum bonum hunc Latronem converſionem ſuam nunquam data opera diſtuliſſe ad extremum vitæ, ſed id feciſſe, quia vivens in ſuæ peſſimæ vitæ tenebris nullum habebat a Deo lumen, quo miſerum ſuum ſtatum agnoſceret, neque usque ad extremum mortis articulum per ſpeciales inſpi-

Digitized by Google

inſpirationes excitatus fuerat. *Joſephus Manſi in Bibl. mor. tract. 65. diſc. 2.*

Latro ſolum corde & lingua ſe juvare potuit, quorum utrumque Deo perfectiſſime obtulit: cor quidem in perfecta contritione, linguam in pura & vera confeſſione. *Ludolphus Sax. in p. 2. vitæ Chriſti c. 63.*

Audiſti plenam confeſſionem. Vidiſti Latronem in cruce ſuis renunciaſſe peccatis? Nullus impulit, nullus neceſſitate conſtrinxit, ſed ipſe ſponte ſua publicabat peccata. *S. Auguſtinus hom. de cruce & Latrone.*

Quem mihi dabis converſum, cujus converſio excellat converſionem hujus SS. Latronis? O fur & Latro paradiſi glorioſe! o ſumme Latronum doctor, & raptorum magiſter! vexillum peccatorum pœnitentium ad Paradiſum portas. *Bartholomæus Ferrarienſis de Chriſto abſcond. libro 6to.*

Quot ictus mortales Latro recipiebat, tot confeſſiones faciebat. *Bartholomæus Ferrarienſis de Chriſto abſcondito c. 16. loquens de fractione crurium boni Latronis.*

Hodie

Digitized by Google

Hodie mecum eris in paradiſo. Vides conceſſam a Chriſto fuiſſe bullam plenariæ indulgentiæ. Quamquam non exiſtimo, Chriſtum aliquam reatus partem ſupra exigentiam operis operantis, ablatam voluiſſe ſive per meram condonationem, qua gratis abſumeretur ea reatus portio, ſive applicata ad id portione aliqua ſatisfactionum ſuarum, vel earum, quæ ſuperfuerunt anterioribus Patribus, reſervatarum in theſauro ad eam diem nunquam recluſo, cujus clavem Chriſtus vicario ſuo erat promiſſurus. Hi namque modi abſtergendi reatum, quamvis ſint in Chriſti poteſtate, tamen ſunt præter ſtatam legem. Aliunde vero & ipſi Chriſto, & Latroni glorioſius eſt, ſi dicamus, tantam divinæ gratiæ ubertatem in Latronis pectus demiſſam eſſe ad concipiendam *pœnitentiam* undequaque perfectam, & totius rubiginis peccati exquiſite emundativam, ut vi illius actus tanquam cauſæ meritoriæ depulſus ſit univerſus temporalis reatus. *Theophilus Raynaudus in excellentiſſimo opere, cui titulus: Metamorphoſis Latronis c.* 13. Me-

Digitized by Google

Meditatio pro tertia die.

De oratione S. boni Latronis.

Toto mentis affectu, ac benigno linguæ effectu, cum inexplicabili cordis humiliatione, & contritione, nec non cum tanta mentis devotione, quantam permiſit acerbitas ipſa ſupplicii, cum converſione benignа faciei, & humili ad Dominum JESUM, ſtupendæ perfectionis, & brevitatis orationem effudit, dicens: Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum: in qua omnis conſummata perfectio continetur. *S. Bernardinus Senenſis in ſerm.* 51. *de paſſ. dom. p.* 2. *de* 7. *verbis Domini.*

Neque corporis ſalutem precatus eſt, quandoquidem ultro voluit mortem oppetere pro peccatis ſuis, eratque ei optatius mori cum Chriſto, quam diutius vivere: nec oravit etiam a pœnis inferni, vel purgatorii ſervari a Domino, nec cœlorum regnum petiit, ſed penitus ſe in divinam voluntatem reſignavit. *Piiſſimus Taulerus de paſſ. c.* 43.

Latro

Latro quid minus, vel humilius potuit rogare, quam ut ſui eſſet memor? *Drogo Hoſtienſ. de ſacram. dom. paſſ.*

Latronis orationem rectæ orationis ideam quis dixerit; oravit enim iis conditionibus omnibus adhibitis, quibus orationem veſtiendam ex Chriſti inſtitutione accepimus, ſive orationis objectum, ſive orandi modum, ſive orantis diſpoſitionem attendamus. *Theophilus Raynaudus in Metam. Latronis.*

Non eſt auſus dicere: Memento mei, niſi confeſſione ſarcinam peccatorum remiſiſſet. *S. Chryſoſtomus homil. de cruc. & Latr.*

Quid tali oratori ille bonus Pater negaret, qui eum incitaverat, ut peteret, & rogaret, præſertim dum in ſede ſponſali die nuptiali ſederet? *S. Bernardus ſuper verba: Ego ſum vitis vera c. 9.*

Duo Apoſtoli Jacobus & Joannes, innocentes & ſancti petebant per matrem ſuam, ut in regno JESU uni ad illius dexteram, alteri ad ejus ſiniſtram ſedere liceret. At repulſi ſunt: Neſcitis, quid petatis. Dis-

mas,

Digitized by Google

mas, grandis peccator, orat & ipſe gratiam aliquam, ſed humilius & diſcretius, nimirum, ut JESUS in regno ſuo duntaxat ſui meminiſſe velit; & en! JESUS continuo illi non tantum promiſit ſui memoriam, ſed illum ſecurum inſuper cum juramento reddit, quod adhuc hodie cum ipſo ſit futurus in paradiſo, atque ita Latroni plus dedit, quam petiit. O quam fervens itaque, quam efficax, quam meritoria fuit oratio hujus Latronis. Forſan nunquam ſimilis in orbe exſtitit, fors neque exiſtet. *Authbor anonymus in piiſſimo italico opuſculo Cremonæ edito* 1728. *cui titulus: l'Avvocato di Geſu Chriſto ſul Calvario.*

Meditatio pro quarta die.

De ſpe S. boni Latronis.

Conſidera Latronis firmiſſimam ſpem, ſcilicet ab illo ſperare ſalutem, quem in corpore proprio videbat omni ſalute privatum. *S. Bernardinus Senenſis ſerm.* 45.

Neque ſolam fidem declarat Latro iſte, verum etiam inſignem fiduciam, quia ſpe-

rat,

rat, ſe quamvis immanem peccatorem miſericordiæ fieri poſſe participem. *Lucas Brugenſis in Lucam.*

Veriſimile eſt, bonum hunc Latronem ex parte ſua hunc in modum diſcurriſſe: In tota vita mea vix aliud quid feci, quam quod hunc Dei Filium mihi vicinum, præ cunctis aliis enormiſſime offenderim; qua igitur ratione non ſolum ſcelerum meorum veniam, ſed inſuper in regno ipſius præmium ſperare potero? Certe aliud non mereor, præterquam furcam, in qua ſuſpenſus oſtentor, non vero gloriæ coronam. Similiter ex parte Chriſti hunc in modum diſcurrere licebat: Quod ſi hic a latere meo crucifixus, quoadusque vixit, magnos facere nequivit ſuos diſcipulos, qua ratione me exaltare nunc poterit, quando nudus in cruce pendet, ſicut & ego, quando deſolatum ſe etiam ab æterno Patre lamentatur? qua ratione me in beatum illud regnum introiturum eſſe ſperare potero, quod a quin-

que

Digitized by Google

que mille, & amplius annis tot præſtantiſſimis Patriarchis, infinitis apud Deum meritis conſpicuis clauſum remanſit. Verumtamen velut alter quidam Abraham ad ejus æmulationem credidit præter ſpem in ſpem. *Joſephus Manſi tract. 65. diſc. 1.*

Cum jam anima Latronis egreſſum accelerans in primis labiis eſſet, & hora ultima adventaret, æquo animo ibat, nec urgebat formido pœnarum conſcientiam, quæ ſe ſanguine Chriſti præterfluente ſentiebat ablutam. *Arnoldus Carnotenſis de 7. verb.*

Latroni plenioris eſt meriti veniam ſperaſſe de Domino, quam culpam contraxiſſe de mundo. *S. Maximus hom. 2. de Latrone.*

Meditatio pro quinta die.

De S. boni Latronis amore erga JESUM.

Tunc quando muſtum amoris amoroſi JESU in torculari crucis exprimebatur, quo totus orbis erat inebriandus, non debuit quaſi in parvo cyatho propinari Latroni, ſed

Digitized by Google

tota operatio mentis ſuæ in torculari JESU quaſi ſine menſura demergi. *S. Bernardinus Senenſis ſerm. 51. de paſſ.*

Mira res! plus in cruce Latro Chriſtum diligit, quam Judas dilexit in cœna. *S. Leo hom. de converſ. Latr.*

Latro eſt concrucifixus cum Chriſto per amorem in cruce. *S. Bernardinus Senenſ. ſerm. 51. de paſſ. Dom.*

Factus eſt Latro advocatus Chriſti, quia eum defendit contra ſocium blaſphemantem, & contra Judæos. *S. Chryſoſtomus hom. de cæco nato.*

Ardentiſſimo amore S. Latro ferebatur in Chriſtum crucifixum & plagatum; cognoſcebat enim, quod illa vulnera non eſſent tantum Chriſti, ſed potius ipſius Latronis, ab ejus nempe peccatis inflicta, cum etiam vidiſſet, quod tam patienter ob hominum ſalutem tot vulnera patiebatur. *Scivit, quod illa vulnera non eſſent Chriſti vulnera, ſed Latronis*, atque adeo plus amare cœpit, poſtquam in corpore ejus ſua vulnera cognovit,

Digitized by Google

gnovit, uti S. Maximus hom. 7. ait. *Ita doctiſſimus Silveira in ſuis Commentariis tom. 5. l. 8. c. 26. q. 12.*

JESUM amabat bonus Latro, quin ab illo ſperaret, aut peteret longam vitam, vel etiam minimum quid hujus mundi. Ipſum adeo paradiſum non petiit contentus, ſi vel ſolum unica cogitatione ipſius ibi recordaretur JESUS. Amabat JESUM amore puro benevolentiæ, ſicut amant illum Seraphini.

O ferventiſſimam, o ardentiſſimam caritatem ſancti boni Latronis erga JESUM, ſummum bonum. *Marangoni in opere italico citato conſider.* 4.

Vix ſe, & ſocium accuſaverat Latro bonus, cum eructavit cor ejus verbum bonum, cum hæc diceret de eo, qui ſolus eſt bonus: *Hic vero nihil mali geſſit.* Quid audio? *Hic nihil mali geſſit.* Ergone injuſta eſt ſynagoga, erravit Pilatus. Argues Annam & Caipham. Accuſabis Scribas, Rabbinos, Phariſæos, magna illa Synagogæ oracula. Tu condemnabis omnes Sacerdotes. Dices,

iniquum eſſe ſummum Pontificem. Tu totam criminis inſimulabis Hieroſolymam. Tu totus natus es in peccatis, & in peccatis morieris, & æquiſſimos mundi judices judicabis: *Hic nihil mali geſſit.* Sile, blasphemas, dum hunc malefactorem accuſas. Una eſt totius Synagogæ, imo Hieroſolymæ vox: *Reus eſt mortis.* Audiat oriens, audiat occidens, audiat cœlum, audiat terra, audiant Judæi, audiant gentiles, audiat tota rerum univerſitas: *Hic nihil mali geſſit.* Diceres, hic loqui non Latronem e patibulo, ſed Doctorem in pulpito. *Guilielmus Stanihurſtius in hiſt. Dei immortalis in corpore mortali patientis c. 13. paragr. 2.*

Ubi eſtis Scribæ, principes Sacerdotum, Pontifices, qui totam ætatem teritis legendo Prophetas, & evolvendo ſcripturas? hic Latro in veſtra ſynagoga nunquam fuit diſcipulus, & tamen tradit recte judicandi diſciplinam. Hic literas nunquam didicit; & tamen vos literatos ut magiſter docet. Vos in Chriſtum blasphematis. Hic blaspheman-

phemantes corrigit. Vos eum de variis criminibus accuſatis. Hic omni eum crimine abſolvit dicens: *Nihil mali geſſit.* O virum dignum inter paucos eligi, qui Chriſtum inter tam multos reprobos auſus eſt innocentem profiteri. Apoſtoli fugiunt, diſcipuli latent, omnes ejus amici tacent, Judæi illudunt, Romani crucifigunt, totus mundus eum condemnat, unus Latro illum abſolvit, accuſat omnium malitiam, dum unius excuſat innocentiam. Quid potuiſſet plus dicere ſedens ad dexteram virtutis Dei, quam jam pendens a dextera Filii Dei. *Guilielmus Staniburſtus in hiſtoria citata eod. cap. & paragr.*

Meditatio pro ſexta die.

De patientia S. boni Latronis.

Nos quidem juſte; nam digna factis recipimus. *Bonus Latro apud S. Lucam.*

Unico actu acceptavit omnes pœnas dicendo: *Digna factis recipimus*, etiam ſi perduraſſent ad diem judicii, & actum ex-

preſſit tanta efficacia, ut voluerit perduraſſe usque ad diem judicii. *S. Auguſtinus ſerm.* 120. *de tempore.*

Latro, juxta S. Bernardum *ſerm. in ram. palm.* patientiam viam vitæ, viam gloriæ, viam regni agnovit, & adamavit. Latronem, ait, cum adeuntem in regnum per tormenta Chriſtum vidiſſet, perveniſſe ipſum quoque compendioſa via ad regni felicitatem. Iſtud enim ſupplicium ſceleribus repenſum, honeſtavit decore patientiæ, & illucente ſibi cœleſti ſole, agnovit, quantum bonum, quamque fructuoſum eſſet, excipere patienter præſentem cruciatum. *Theophilus Raynaudus in metamorph. Latr. c.* 9.

Hoc animo juſtus Latro moriebatur in cruce. Cum mori ſe debere perſpiceret, ſe ita voluntarium ad ipſam mortem offerebat, ut, ſi inde eripere ſe potuiſſet, haud quaquam id egiſſet. *Joannes Taulerus in lib. cui titul. Notabiles Præparationes ad felicem mortem. Præpar. 2da.*

S. La-

S. Latro in cruce ſuffixus, flagellis cæſus antea, morte condemnatus turpiſſima ob graviſſima ſua ſcelera, ex pœnis ſuis conflavit ſibi antidotum, & cum videret appropinquare milites, & pro more ipſi crura frangerent, doctus ex patientia JESU & ipſe clamavit, *ſitio.* Sitio plura pati pro meis peccatis, pro amore JESU. *Joannes Marangoni in libro: l'ammirabile converſione* &c.

Meditatio pro ſeptima die.

De S. boni Latronis contemptu rerum temporalium.

Latro, erudiente Deo, pertæſus fluxorum omnium ſuſpiravit ad æterna, & ad ea tranſiit deſiderio, ut optime expendit S. Ambroſius in Pſal. 36. ad illud: *Tranſivi, & ecce non erat*, monſtrans Latronem exemplo Moyſis, qui Exod. 4. dixit: *Tranſiens videbo*, & Sponſæ, cui in Canticis dicitur: *Transibis, & pertranſibis*, pertranſiiſſe materialia, & in æternis petitionis pedem fixiſſe. *Theophilus Raynaudus in metamorphoſ. Latr. c. 9.*

Devotione fidei tam repente mutatus eſt Latro, ut præſentem pœnam deſpiceret, ac de futura veniam precaretur, & magis crederet, utile ſibi eſſe de æterno judicio petere, quam de temporali ſupplicio poſtulare; reminiſcens enim ſcelerum ſuorum, & pœnitudinem gerens, plus incipit dolere, quod ſperat, quam ſentire, quod patitur; potuit enim, niſi de futuris amplius cogitaſſet, qui in Chriſtum ſemel crediderat, de præſenti magis ſupplicio deprecari. *S. Maximus hom.* 1. *de Latr.*

Beati pauperes ſpiritu. Latro, qui nihil jam habuit, quam in cruce miſerrimam vitam, hanc ipſam nec per momentum ultra conſervare deſiderabat, licet alter Latro hanc ipſam a JESU petierit: *Si tu es Chriſtus, ſalva temetipſum, & nos.* Omnes illius cogitationes ſolum JESUM, & regnum JESU ſpectabant. Quam heroicus hic eſt contemptus vitæ, & temporalium omnium in Latrone, qui hactenus id unum egit, ut vitam & conſervaret, & rapinis aleret? Nunc

omnium

omnium divitiarum, voluptatum, ipſius vitæ oblitus, vel cum potentiſſimo Monarcha ſuam ſortem nollet permutare: *Joannes Marangoni in ſuo libro: l'ammirabile converſione di S. Disma conſid. 6.*

Meditatio pro octava die.

De S. boni Latronis caritate erga proximum.

Priusquam ſibi Latro quidquam petat, curat ſocium curare, quæ inſignis eſt caritas: ſuas neceſſitates prætermittens, aliorum utilitatem cogitabat, & ſanis perſuaſionibus alium invitabat ad vitam. *S. Chryſoſtomus hom. de cruc. & Latr.*

Caritatem Latro in morte ſua vivaciter tenuit, qui fratrem & collatronem pro ſimili ſcelere morientem, & de iniquitate ſua arguit, & ei vitam, quam non cognoverat, prædicavit, dicens: Neque tu times Deum. *S. Gregorius lib.* 18. *mor. c.* 25.

Prudentiſſime, & ad caritatis regulas accommodate, Latro apertiore correptione furentium Judæorum abſtinuit, nec minus

prudenter, & ex caritatis legibus temperavit a violatione ejus, quem corrigere inſtituebat; non enim perditum, blaſphemum, ſceleratum nominavit, quod vere ac jure poterat: ſed labem expoſuiſſe contentus abſtinuit maledictis, quæ eſt prudentis & amicæ correctionis forma legitima, cujusmodi a ſapientibus præſcribitur. *Theophilus Raynaudus in metamorph. Latr.*

Bonus Latro in cruce pendens, cum non poſſet opera miſericordiæ corporalia exercere, exercuit ſpiritualia omnia. *Docuit ignorantes;* docuit enim & collegam ſuum, & Judæos, & Gentiles, qui tunc erant in monte Calvariæ, Chriſtum eſſe & innocentem & ſanctiſſimum, & ipſum Dei Filium. *Conſolatus eſt afflictos*, ſua enim converſione, admirabilique confeſſione & defenſione innocentis Dei non tantum confortavit afflictiſſimam humanitatem JESU, ſed & ipſius afflictiſſimam Matrem. *Correxit proximum*, dum ſceleratum ſuum collegam corripuit. *Remiſit inimicis offenſas* non tantum illatas

illatas ſibi, quem Judæi, eo quod JESUM publice defenderit, haud dubie vehementer oderunt, ſed etiam illatas JESU, ex cujus ore audivit illa: *Pater ignoſce illis; neſciunt enim quid faciunt.* Unde &, quæ ſuſtinere debuit, *mala libentiſſimo animo paſſus eſt. Pro vivis & defunctis oravit,* cum enim tenerrime amaret JESUM, videretque & collegam ſuum, Latronem alterum, cum tot aliis orco appropinquare, plurimasque animas in altero orbe ob ſua peccata in purgatorio detineri, & a JESU ſuo etiamnum avulſas vivere, quis prudenter dubitare poſſit, zelo ſalvandi omnes impulſum, non tantum pro ſe oraſſe, ſed pro toto mundo: memento omnium, cum veneris in regnum tuum. *Joannes Marangoni in variis locis ſui libri admirabilis: l'ammirabile converſione di S. Diſma in Roma* 1741.

Medi-

Meditatio pro die nona.

De S. boni Latronis ſanctitate conſummata, & gloria ſublimiſſima.

Quis hominis hujus virtutes celebret? quis vel effari eas poſſit, quæ tantæ ſunt, ut ejus virtutum omnium cognitionem tam cito edocere nemo poterit, niſi ſapientia Patris Chriſtus JESUS. *Joannes Taulerus in exercitio de vita Chriſti cap.* 43.

Si diligenter conſiderentur virtutes tum theologicæ, tum morales, quæ ſunt menti Latronis infuſæ, faciliter anima ducitur ad ſtuporem. *S. Bernardinus Senenſis ſerm. de paſſ.* 51.

Confirmationem utique, quam in die Pentecoſtes Apoſtoli per Spiritum ſanctum ſuſceperunt, Latro iſte poſitus in cruce ſuſcepit, ait S. Damaſcenus: unde & dona S. Spiritus omnia Latroni infuſa ſunt. *Marangoni in citato jam libro c.* 6. *l.* 2. quæ quidem quam grandia in Latrone fuerint, latius ibi deducit.

Latro

Latro bonus eſt confeſſor, martyr, apoſtolus, collega JESU: eſt Latro cordis JESU, & totius paradiſi, dux martyrum, angelus cuſtos peccatorum, qui ſe volunt convertere, miraculum hominum, primus in mille prærogativis, ſine exemplo & quaſi ſine pari, angelus paradiſi, filius primogenitus Eccleſiæ, primitiæ quas Verbum divinum præſentavit Patri. *P. Stephanus Binet S. J. in ſuo longe piiſſimo libello gallice primum, tum etiam italice edito in variis libelli bujus locis, cujus titulus eſt: la Converſione de buon Ladrone.*

Quid tu Domine amplius Stephano contuliſti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui ſupra pectus tuum in cœna recubuit? quid amplius Pauli meruere ſudores, quid martyrum plagæ? una hora Latroni collatum eſt præmium, ad quod illi per tot diſcrimina venerunt. Sanguinem Latronis Chriſtus applicuit ſuo, deque Latrone fecit ſibi conſanguineum, & cohæredem. *S. Cyprianus ep. & mart. ſerm. de paſſ. dom.*

Con-

Digitized by Google

Conſummatus civis ſanctorum, & domeſticus Dei præmiſſus eſt Latro in regnum, reconciliationis humanæ ſecum ferens privilegium, legationis Deo Patri fungens honore. *S. Cyprianus ep. Carthag. ſerm. de cœn. Dom.*

Non puto, iſtum Latronem, niſi inter ſublimes Dei principes collocandum. Eſt de majoribus, & eminentioribus Sanctis paradiſi. *S. Bernardinus Senenſis ſerm. 51. de paſſ. Dom. p. 2. de 7. verb. Dom. item ſerm. 45. fer. 6. in Paraſc.*

EADEM
NOVENDIALIS DEVOTIO,
CONTRACTA
IN BREVIA PUNCTA
SUBJECTIS PIIS REFLEXIONIBUS.

Meditatio pro prima die.
De fide S. boni Latronis.

I. *Illius fides fuit fortis.* Non obſtantibus tot in contrarium difficultatibus credit, & credit publice.

II. *Il-*

II. *Illjus fides fuit viva.* Vix cœpit credere, & mox illius ſides magna operatur, dum omnes virtutes tanquam totidem fidei germina palam exhibet.

O quam alia mea eſt fides, quam tamen per tot jam annos profiteor. Ubi illius eſt fortitudo? Modicus reſpectus humanus, modifficultas, ne opera fidei ſtrenue obeam, me abſterret. Ubi illius eſt vivacitas? nunquid mortuæ ſimillima eſt, quæ nil aut parum operatur? ſi fides mea vivit, ubi ſunt opera, & virtutes, quæ ex radice fidei pullulare ſolent. O pudor! o dolor!

Meditatio pro ſecunda die.

De pœnitentia S. boni Latronis.

I. *Illius pœnitentia fuit prompta.* Vix cor boni Latronis pulſavit Deus acriore gratiæ ſtimulo, mox ſe convertit, fitque ex magno peccatore magnus Sanctus.

II. *Illius pœnitentia fuit perfecta.* Confitetur & quidem publice: dolet ex toto corde: ſatisfacit pro peccatis ſuis, & quidem

tam

rat, ſe quamvis immanem peccatorem miſericordiæ fieri poſſe participem. *Lucas Brugenſis in Lucam.*

Veriſimile eſt, bonum hunc Latronem ex parte ſua hunc in modum diſcurriſſe: In tota vita mea vix aliud quid feci, quam quod hunc Dei Filium mihi vicinum, præ cunctis aliis enormiſſime offenderim; qua igitur ratione non ſolum ſcelerum meorum veniam, ſed inſuper in regno ipſius præmium ſperare potero? Certe aliud non mereor, præterquam furcam, in qua ſuſpenſus oſtentor, non vero gloriæ coronam. Similiter ex parte Chriſti hunc in modum diſcurrere licebat: Quod ſi hic a latere meo crucifixus, quoadusque vixit, magnos facere nequivit ſuos diſcipulos, qua ratione me exaltare nunc poterit, quando nudus in cruce pendet, ſicut & ego, quando deſolatum ſe etiam ab æterno Patre lamentatur? qua ratione me in beatum illud regnum introiturum eſſe ſperare potero, quod a quinque

que mille, & amplius annis tot præſtantiſſimis Patriarchis, infinitis apud Deum meritis conſpicuis clauſum remanſit. Verumtamen velut alter quidam Abraham ad ejus æmulationem credidit præter ſpem in ſpem. *Joſephus Manſi tract. 65. diſc. 1.*

Cum jam anima Latronis egreſſum accelerans in primis labiis eſſet, & hora ultima adventaret, æquo animo ibat, nec urgebat formido pœnarum conſcientiam, quæ ſe ſanguine Chriſti præterfluente ſentiebat ablutam. *Arnoldus Carnotenſis de 7. verb.*

Latroni plenioris eſt meriti veniam ſperaſſe de Domino, quam culpam contraxiſſe de mundo. *S. Maximus hom. 2. de Latrone.*

Meditatio pro quinta die.

De S. boni Latronis amore erga JESUM.

Tunc quando muſtum amoris amoroſi JESU in torculari crucis exprimebatur, quo totus orbis erat inebriandus, non debuit quaſi in parvo cyatho propinari Latroni, ſed

tota operatio mentis ſuæ in torculari JESU quaſi ſine menſura demergi. *S. Bernardinus Senenſis ſerm.* 51. *de paſſ.*

Mira res! plus in cruce Latro Chriſtum diligit, quam Judas dilexit in cœna. *S. Leo hom. de converſ. Latr.*

Latro eſt concrucifixus cum Chriſto per amorem in cruce. *S. Bernardinus Senenſ. ſerm.* 51. *de paſſ. Dom.*

Factus eſt Latro advocatus Chriſti, quia eum defendit contra ſocium blasphemantem, & contra Judæos. *S. Chryſoſtomus hom. de cæco nato.*

Ardentiſſimo amore S. Latro ferebatur in Chriſtum crucifixum & plagatum; cognoſcebat enim, quod illa vulnera non eſſent tantum Chriſti, ſed potius ipſius Latronis, ab ejus nempe peccatis inflicta, cum etiam vidiſſet, quod tam patienter ob hominum ſalutem tot vulnera patiebatur. *Scivit, quod illa vulnera non eſſent Chriſti vulnera, ſed Latronis*, atque adeo plus amare cœpit, poſtquam in corpore ejus ſua vulnera cognovit,

Digitized by Google

gnovit, uti S. Maximus hom. 7. ait. *Ita doctiſſimus Silveira in ſuis Commentariis tom.* 5. *l.* 8. *c.* 26. *q.* 12.

JESUM amabat bonus Latro, quin ab illo ſperaret, aut peteret longam vitam, vel etiam minimum quid hujus mundi. Ipſum adeo paradiſum non petiit contentus, ſi vel ſolum unica cogitatione ipſius ibi recordaretur JESUS. Amabat JESUM amore puro benevolentiæ, ſicut amant illum Seraphini.

O ferventiſſimam, o ardentiſſimam caritatem ſancti boni Latronis erga JESUM, ſummum bonum. *Marangeni in opere italico citato conſider.* 4.

Vix ſe, & ſocium accuſaverat Latro bonus, cum eructavit cor ejus verbum bonum, cum hæc diceret de eo, qui ſolus eſt bonus: *Hic vero nihil mali geſſit.* Quid audio: *Hic nihil mali geſſit.* Ergone injuſta eſt ſynagoga, erravit Pilatus. Argues Annam & Caipham. Accuſabis Scribas, Rabbinos, Phariſæos, magna illa Synagogæ oracula. Tu condemnabis omnes Sacerdotes. Dices,

 ini-

iniquum eſſe ſummum Pontificem. Tu totam criminis inſimulabis Hieroſolymam. Tu totus natus es in peccatis, & in peccatis morieris, & æquiſſimos mundi judices judicabis: *Hic nihil mali geſſit.* Sile, blasphemas, dum hunc malefactorem accuſas. Una eſt totius Synagogæ, imo Hieroſolymæ vox: *Reus eſt mortis.* Audiat oriens, audiat occidens, audiat cœlum, audiat terra, audiant Judæi, audiant gentiles, audiat tota rerum univerſitas: *Hic nihil mali geſſit.* Diceres, hic loqui non Latronem e patibulo, ſed Doctorem in pulpito. *Guilielmus Stanihurſtius in hiſt. Dei immortalis in corpore mortali patientis c. 13. paragr. 2.*

Ubi eſtis Scribæ, principes Sacerdotum, Pontifices, qui totam ætatem teritis legendo Prophetas, & evolvendo ſcripturas? hic Latro in veſtra ſynagoga nunquam fuit diſcipulus, & tamen tradit recte judicandi diſciplinam. Hic literas nunquam didicit; & tamen vos literatos ut magiſter docet. Vos in Chriſtum blasphematis. Hic blaspheman-

phemantes corrigit. Vos eum de variis criminibus accuſatis. Hic omni eum crimine abſolvit dicens: *Nihil mali geſſit.* O virum dignum inter paucos eligi, qui Chriſtum inter tam multos reprobos auſus eſt innocentem profiteri. Apoſtoli fugiunt, diſcipuli latent, omnes ejus amici tacent, Judæi illudunt, Romani crucifigunt, totus mundus eum condemnat, unus Latro illum abſolvit, accuſat omnium malitiam, dum unius excuſat innocentiam. Quid potuiſſet plus dicere ſedens ad dexteram virtutis Dei, quam jam pendens a dextera Filii Dei. *Guilielmus Staniburſtus in hiſtoria citata eod. cap. & paragr.*

Meditatio pro ſexta die.

De patientia S. boni Latronis.

Nos quidem juſte; nam digna factis recipimus. *Bonus Latro apud S. Lucam.*

Unico actu acceptavit omnes pœnas dicendo: *Digna factis recipimus*, etiam ſi perduraſſent ad diem judicii, & actum ex-

preſſit tanta efficacia, ut voluerit perduraſſe usque ad diem judicii. *S. Auguſtinus ſerm.* 120. *de tempore.*

Latro, juxta S. Bernardum *ſerm. in ram. palm.* patientiam viam vitæ, viam gloriæ, viam regni agnovit, & adamavit. Latronem, ait, cum adeuntem in regnum per tormenta Chriſtum vidiſſet, perveniſſe ipſum quoque compendioſa via ad regni felicitatem. Iſtud enim ſupplicium ſceleribus repenſum, honeſtavit decore patientiæ, & illucente ſibi cœleſti ſole, agnovit, quantum bonum, quamque fructuoſum eſſet, excipere patienter præſentem cruciatum. *Theophilus Raynaudus in metamorph. Latr. c.* 9.

Hoc animo juſtus Latro moriebatur in cruce. Cum mori ſe debere perſpiceret, ſe ita voluntarium ad ipſam mortem offerebat, ut, ſi inde eripere ſe potuiſſet, haud quaquam id egiſſet. *Joannes Taulerus in lib. cui titul. Notabiles Præparationes ad felicem mortem, Præpar.* 2*da.*

S. La-

S. Latro in cruce ſuffixus, flagellis cæſus antea, morte condemnatus turpiſſima ob graviſſima ſua ſcelera, ex pœnis ſuis conflavit ſibi antidotum, & cum videret appropinquare milites, & pro more ipſi crura frangerent, doctus ex patientia JESU & ipſe clamavit, *ſitio.* Sitio plura pati pro meis peccatis, pro amore JESU. *Joannes Marangoni in libro: l'ammirabile converſione* &c.

Meditatio pro ſeptima die.

De S. boni Latronis contemptu rerum temporalium.

Latro, erudiente Deo, pertæſus fluxorum omnium ſuſpiravit ad æterna, & ad ea tranſiit deſiderio, ut optime expendit S. Ambroſius in Pſal. 36. ad illud: *Tranſivi, & ecce non erat*, monſtrans Latronem exemplo Moyſis, qui Exod. 14. dixit: *Tranſiens videbo*, & Sponſæ, cui in Canticis dicitur: *Tranſibis, & pertranſibis*, pertranſiiſſe materialia, & in æternis petitionis pedem fixiſſe. *Theophilus Raynaudus in metamorphoſ. Latr. c. 9.*

omnium divitiarum, voluptatum, ipſius vitæ oblitus, vel cum potentiſſimo Monarcha ſuam ſortem nollet permutare: *Joannes Marangoni in ſuo libro: l'ammirabile converſione di S. Disma conſid. 6.*

Meditatio pro octava die.

De S. boni Latronis caritate erga proximum.

Priusquam ſibi Latro quidquam petat, curat ſocium curare, quæ inſignis eſt caritas: ſuas neceſſitates prætermittens, aliorum utilitatem cogitabat, & ſanis perſuaſionibus alium invitabat ad vitam. *S. Chryſoſtomus hom. de cruc. & Latr.*

Caritatem Latro in morte ſua vivaciter tenuit, qui fratrem & collatronem pro ſimili ſcelere morientem, & de iniquitate ſua arguit, & ei vitam, quam non cognoverat, prædicavit, dicens: Neque tu times Deum. *S. Gregorius lib.* 18. *mor. c.* 25.

Prudentiſſime, & ad caritatis regulas accommodate, Latro apertiore correptione furentium Judæorum abſtinuit, nec minus

Digitized by Google

prudenter, & ex caritatis legibus temperavit a violatione ejus, quem corrigere inſtituebat; non enim perditum, blasphemum, ſceleratum nominavit, quod vere ac jure poterat: ſed labem expoſuiſſe contentus abſtinuit maledictis, quæ eſt prudentis & amicæ correctionis forma legitima, cujusmodi a ſapientibus præſcribitur. *Theophilus Raynaudus in metamorph. Latr.*

Bonus Latro in cruce pendens, cum non poſſet opera miſericordiæ corporalia exercere, exercuit ſpiritualia omnia. *Docuit ignorantes;* docuit enim & collegam ſuum, & Judæos, & Gentiles, qui tunc erant in monte Calvariæ, Chriſtum eſſe & innocentem & ſanctiſſimum, & ipſum Dei Filium. *Conſolatus eſt afflictos*, ſua enim converſione, admirabilique confeſſione & defenſione innocentis Dei non tantum confortavit afflictiſſimam humanitatem JESU, ſed & ipſius afflictiſſimam Matrem. *Correxit proximum*, dum ſceleratum ſuum collegam corripuit. *Remiſit inimicis offenſas* non tantum illatas

illatas ſibi, quem Judæi, eo quod JESUM publice defenderit, haud dubie vehementer oderunt, ſed etiam illatas JESU, ex cujus ore audivit illa: *Pater ignoſce illis; neſciunt enim quid faciunt.* Unde &, quæ ſuſtinere debuit, *mala libentiſſimo animo paſſus eſt. Pro vivis & defunctis oravit,* cum enim tenerrime amaret JESUM, videretque & collegam ſuum, Latronem alterum, cum tot aliis orco appropinquare, plurimasque animas in altero orbe ob ſua peccata in purgatorio detineri, & a JESU ſuo etiamnum avulſas vivere, quis prudenter dubitare poſſit, zelo ſalvandi omnes impulſum, non tantum pro ſe oraſſe, ſed pro toto mundo: memento omnium, cum veneris in regnum tuum. *Joannes Marangoni in variis locis ſui libri admirabilis: l' ammirabile converſione di S. Diſma in Roma* 1741.

Medi-

Meditatio pro die nona.

De S. boni Latronis ſanctitate conſummata, & gloria ſublimiſſima.

Quis hominis hujus virtutes celebret? quis vel effari eas poſſit, quæ tantæ ſunt, ut ejus virtutum omnium cognitionem tam cito edocere nemo poterit, niſi ſapientia Patris Chriſtus JESUS. *Joannes Taulerus in exercitio de vita Chriſti cap.* 43.

Si diligenter conſiderentur virtutes tum theologicæ, tum morales, quæ ſunt menti Latronis infuſæ, faciliter anima ducitur ad ſtuporem. *S. Bernardinus Senenſis ſerm. de paſſ.* 51.

Confirmationem utique, quam in die Pentecoſtes Apoſtoli per Spiritum ſanctum ſuſceperunt, Latro iſte poſitus in cruce ſuſcepit, ait S. Damaſcenus: unde & dona S. Spiritus omnia Latroni infuſa ſunt. *Marangoni in citato jam libro c. 6. l. 2.* quæ quidem quam grandia in Latrone fuerint, latius ibi deducit.

Latro

Latro bonus eſt confeſſor, martyr, apoſtolus, collega JESU: eſt Latro cordis JESU, & totius paradiſi, dux martyrum, angelus cuſtos peccatorum, qui ſe volunt convertere, miraculum hominum, primus in mille prærogativis, ſine exemplo & quaſi ſine pari, angelus paradiſi, filius primogenitus Eccleſiæ, primitiæ quas Verbum divinum præſentavit Patri. *P. Stephanus Binet S. J. in ſuo longe piiſſimo libello gallice primum, tum etiam italice edito in variis libelli bujus locis, cujus titulus eſt: la Converſione de buon Ladrone.*

Quid tu Domine amplius Stephano contuliſti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui ſupra pectus tuum in cœna recubuit? quid amplius Pauli meruere ſudores, quid martyrum plagæ? una hora Latroni collatum eſt præmium, ad quod illi per tot diſcrimina venerunt. Sanguinem Latronis Chriſtus applicuit ſuo, deque Latrone fecit ſibi conſanguineum, & cohæredem. *S. Cyprianus ep. & mart. ſerm. de paſſ. dom.*

Con-

Digitized by Google

Conſummatus civis ſanctorum, & domeſticus Dei præmiſſus eſt Latro in regnum, reconciliationis humanæ ſecum ferens privilegium, legationis Deo Patri fungens honore. *S. Cyprianus ep. Carthag. ſerm. de cœn. Dom.*

Non puto, iſtum Latronem, niſi inter ſublimes Dei principes collocandum. Eſt de majoribus, & eminentioribus Sanctis paradiſi. *S. Bernardinus Senenſis ſerm. 51. de paſſ. Dom. p. 2. de 7. verb. Dom. item ſerm. 45. fer. 6. in Paraſc.*

EADEM NOVENDIALIS DEVOTIO, CONTRACTA IN BREVIA PUNCTA SUBJECTIS PIIS REFLEXIONIBUS.

Meditatio pro prima die.

De fide S. boni Latronis.

I. *Illius fides fuit fortis.* Non obſtantibus tot in contrarium difficultatibus credit, & credit publice.

II. *Il-*

Digitized by Google

II. *Illius fides fuit viva.* Vix cœpit credere, & mox illius ſides magna operatur, dum omnes virtutes tanquam totidem fidei germina palam exhibet.

O quam alia mea eſt fides, quam tamen per tot jam annos profiteor. Ubi illius eſt fortitudo? Modicus reſpectus humanus, modifficultas, ne opera fidei ſtrenue obeam, me abſterret. Ubi illius eſt vivacitas? nunquid mortuæ ſimillima eſt, quæ nil aut parum operatur? ſi fides mea vivit, ubi ſunt opera, & virtutes, quæ ex radice fidei pullulare ſolent. O pudor! o dolor!

Meditatio pro ſecunda die.

De pœnitentia S. boni Latronis.

I. *Illius pœnitentia fuit prompta.* Vix cor boni Latronis pulſavit Deus acriore gratiæ ſtimulo, mox ſe convertit, fitque ex magno peccatore magnus Sanctus.

II. *Illius pœnitentia fuit perfecta.* Confitetur & quidem publice: dolet ex toto corde: ſatisfacit pro peccatis ſuis, & quidem

tam

tam plene, ut ipſas adeo purgatorii flammas poſt tot ſcelera evadat, recta ad beatam, eamque æternam Dei viſionem evolans.

O quamdiu ego in meis peccatis reſtiti vocanti & non ſemel vocanti gratiæ, & fors etiamnum reſiſto? ah! quam timendum eſt mihi, ne dum vocantem diutius negligo, Deus me quoque negligat, & in interitum meum rideat. Verum ſi & pœnitentiam denique arripui, o quam imperfecta eſt illa! qualis mea eſt confeſſio? qualis dolor? qualis ſatisfactio? Heu! quam terribile adhuc, & quam diuturnum mihi remanebit purgatorium?

Meditatio pro tertia die.

De oratione S. boni Latronis.

I. *Illius oratio fuit ſancta.* Non petit divitias, non ſanitatem & vitam, non dignitates, non liberationem a cruce &c. Unicam a JESU pro ſua anima gratiam petit.

II. Il-

Digitized by Google

II. *Illius oratio fuit humilis.* Ne quidem regnum cœlorum a JESU audet petere. Omnia committit JESU. Unice rogat, ut peccatoris maximi non omnino omnem recordationem abjiciat, ſatis felicem ſe reputans, ſi vel meminerit ſui JESUS. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.*

An & mea oratio eſt talis? Eſtne & ipſa ſancta? O quam multa futilia, & inania a JESU petii, quæ nec animæ meæ, nec gloriæ illius conducebant. Sed & qualis eſt humilitas orationis meæ? Si fors & ſancta, ſalubriaque flagitavi, an non nimis importune & inquiete flagitavi. Fors cuperem eſſe ſtatim ſanctus, & magnus Sanctus, non tam ut Deo, quam mihi eſſet bene. O non ita! Equidem aſpirare poſſum ad magnas virtutes, & magnam ſanctitatem, imo ut eas obtineam, laborare: nihilominus debeo & eſſe contentus, ſi eo non perveniam, imo contentus, ſi angulus in cœlo mihi obveniat.

Meditatio pro quarta die.

De ſpe S. boni Latronis.

I. *Illius ſpes fuit in JESU.* In cruce ſua loquitur JESU, & ad eum totus quantus in ſuis anguſtiis & extremis miſeriis recurrit. Vocat eum dominum, vocat regem, ut indicet, ab hoc domino, ab hoc rege ſe ſperare omnia.

II. *Illius ſpes fuit in ſolo JESU.* Dum immenſa multitudo populi, dum principes Synagogæ, qui ipſum e ſuis miſeriis liberare potuiſſent, coram adſunt, nullum horum vel verbo dignatur: ſolum JESUM reſpicit, & hunc ſolum invocat.

O quam ſæpe in meis anguſtiis, doloribus, perſecutionibus, paupertate &c. JESU mei obliviſcor, totus quantus in eo, ut hominum opem implorem, opem futilem & vanam. Nunquid JESUS, & ſolus JESUS eſt, qui me juvare poteſt?

Medi-

Digitized by Google

Meditatio pro quinta die.

De S. boni Latronis amore erga JESUM.

I. *Illius amor erga JESUM fuit ſincerus.* Nil aliud ſpectabat, quam ut JESUM innocentem, Deum & regem profiteretur. Hæc fuit tota illius occupatio, dum in cruce fuit. Solam JESU gloriam, ejusque commoda quærit, ſui fere penitus oblitus.

II. *Illius amor erga JESUM fuit magnanimus.* Coram hoſtibus JESU juratis, cum nec verbulum ullus apoſtolorum, aut amicorum JESU pro eo proferre auderet, ſolus bonus Latro advocatum illius agit.

O ſincerum, o magnanimum amorem erga JESUM! Sed quomodo ego profiteor amorem JESU? quomodo ego gloriam illius quæro? an hanc unice quæro? an non proprium etiam aliquod commodum meum intendo? an non in arduis, in quibus potiſſimum amor erga JESUM relucet, ſtatim deficio? an & ego audeo ore, & opere advocatum JESU agere, illiusque hoſtes incre-

Digitized by Google

pare, eumque ab injuriis, quæ illi ſæpe & palam a meis ſubditis, a meis filiis, a meis domeſticis &c. inferuntur, magno animo defendere?

Meditatio pro ſexta die.

De patientia S. boni Latronis.

I. *Illius patientia fuit multifaria.* Fuit patientia in ſumma ignominia, in ſummis doloribus corporis, in derelictione a toto mundo.

II. *Illius patientia fuit heroica.* Nec verbulo conqueritur in tot & tantis miſeriis. Id unice ingeminat, quod juſte eas patiatur.

Quam pudere me debet mei, cui patientia in omnibus fere deeſt. Vel modicus corporis dolor, vel modica famæ aut opum mearum imminutio animum meum dejiciunt, querelis omnia impleo, &, ut levamen vel ſaltem ſolatium inveniam, obviis quibuscunque meas anguſtias, infirmitates &c. detego, immemor ſane, quod toties

Digitized by Google

ties non modo purgatorium, ſed etiam infernum ſim promeritus.

Meditatio pro ſeptima die.

De S. boni Latronis contemptu rerum temporalium.

I. *Illius contemptus rerum temporalium fuit univerſalis.* Caduca bona omnia, famam, honores, ſanitatem, & vitam contemnit, dum promptiſſimo animo ea omnia relinquit, nil jam amplius eorum vel per momentum poſſidere deſiderans.

II. *Illius contemptus rerum temporalium fuit religioſus.* Religioſus, inquam, dum ea non alio ex fine deſerit, quam ut ea JESU ſuo immolet, illius voluntatem expleat, & denique gratiam aucupetur, ſolis jam æternis intentus.

O quam aliter meus animus eſt conſtitutus, qui identidem terrenis, vanis & caducis rebus inhiat? Quid denique eſt, quod amore JESU, quod amore æternæ patriæ hactenus deſerui, aut deſerere cupio.

 Quan-

Digitized by Google

Quantum foveo cuticulam meam, famam meam, opes meas? Quam timeo, ne illorum ſubtractione, aut imminutione ægre mihi aliquantum fiat.

Meditatio pro octava die.

De S. boni Latronis zelo erga proximum.

I. *Illius zelus erga proximum fuit purus.* Increpat ſocium ſuum, qui Chriſtum blasphemat, eumque JESU lucrari cupit. Inculcat illi timorem Dei: *Neque tu times Deum?* Quid aliud hoc modo quærebat, quam æternam ſalutem proximi ſui, utpote a quo, homine plane miſero, omnibus rebus deſtituto, & jamjam moriente nullum commodum exſpectare poterat.

II. *Illius zelus erga proximum fuit imperterritus.* Quid non timendum illi erat, dum proximum ſuum ob blasphemias in JESUM jactas coram omnibus Judæis, & illorum Magnatibus objurgat, illumque innocentem & juſtum illis prædicat? Sed nempe zelus, quo collegam ad meliorem frugem perdu-

cere

Digitized by Google

cere voluit, pericula omnia contemnit, invidiam, odiumque totius Synagogæ libenter perlaturus, modo fratrem ſuum, illiusque animam lucrari poſſet.

Quidnam hactenus ego feci pro ſalvando proximo meo? an illi opportunas admonitiones adhibui? quem ego zelum pro illius anima exercui? forſan tentavi aliquid. Sed quid ſi meus zelus non fuit purus? quid ſi zelo meo proprium aliquod commodum, famam, laudem quæſivi? forſan neque diu hic zelus meus duravit, quia non ſatis animi habui, laboribus, timoribus, difficultatibus, fors etiam imaginariis duntaxat, ab eo abſterritus.

Meditatio pro nona die.

De S. boni Latronis ſanctitate in genere, & gloria in cœlis.

I. *Illius ſanctitas eſt conſummata.* O quantas, & quam heroicas virtutes exercuit is in cruce? Sancti Patres quam magnifice illas prædicant? Sane tanta ſunt illorum hac

in parte elogia, ut vix alium Sanctum tot & tam exquiſitis laudibus decoraverint, uti videre eſt in priore novendiali devotione. Accedit, quod illi virtutes attribuant fere omnium claſſium Sanctorum. Vocant illum Apoſtolum, Martyrem, Prophetam, Evangeliſtam, Doctorem, Angelum, Archangelum, imo Seraphinum.

II. *Illius gloria eſt ſublimiſſima.* Et vero quis de hac dubitare poterit, cum ea ſemper ſit proportionata ſanctitati, meritisque & augmento ſanctificantis gratiæ per virtutes collectis, ut nil dicam de ſatisfactionibus boni hujus Latronis, ingentibus ſane, cum purgatorium omne evaſerit, & quibus ipſis etiam, cum in hac vita ſint meritoriæ, iterum gloria illis proportionata in cœlis reſpondet.

Deus bone! Tam magnus Sanctus evaſit Latro intra paucas horas, tantum virtutum apparatum, tantam ſibi gloriam breviſſimo tempore ſibi collegit! Et ego adhuc hæreo & tot annis hæreo in ſordibus peccatorum procul

Digitized by Google

procul, uti vel ab infimo virtutis gradu, ita & a cœlo. O quando tandem erit teporis mei & pigritiæ finis in congerendis meritorum, & virtutum theſauris.

OFFICIUM
de ſancto bono Latrone.

AD MATUTINUM.

℣. Domine labia mea aperies,

℟. Et os meum annuntiabit laudes clementiſſimi Cordis JESU.

℣. Deus in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen.

HYMNUS.

Eja agite mortales! metus
Curaſque triſtes ponite:
Serena frons ſe porrigat;
Laudes ſonent cum jubilis.

Peccator en proponitur
Dolens, amans & confitens.
JESUS Latronem ſuſcipit
Orco, rogisque proximum.

O quæ patravit crimina,
Quam multa, quamque grandia!
Nunc JESUS illum ſanguine,
Quem corde fundit, abluit.

Si criminum jam copia,
Et Judicis ſeveritas
Minans averni carceres,
Terrore pectus concutit,

Crucem Latronis cernite:
Illaque vos ſolemini:
Hic lacrymas effundite,
JESUque Cor vos diliget.

Sic eſt: Redemptor optime!
Quam Latro felix obtinet,
Dum te precamur, gratiam
Veniamque promptus exhibes.

Anti-

Antiphona.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. Iſa. 59.

℣. Ora pro nobis ſancte Latro pœnitens.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

OREMUS.

Omnipotens & miſericors Deus, qui juſtificas impios, te ſuppliciter exoramus, ut benigno illo intuitu, quo Unigenitus tuus in cruce pendens beatum ſecum crucifixum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam nos provoces, & illam, quam ei promiſit, tribuas quoque nobis gloriam ſempiternam. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

AD

Digitized by Google

AD PRIMAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto;
Sicut erat in principio, & nunc & ſemper,
& in ſæcula ſæculorum, amen.

HYMNUS.

Jubente, Latro, præſide,
Cruci necandus traditur,
Inſontis atque ad dexteram
JESU reus configitur;
Illum videnſque vulnera
Mille inter & ludibria,
Nudum, cruentum, ſquallidum
Tot ferre pœnas fortiter;
Quin pro ſuis immanibus
Ac efferatis hoſtibus
Ad aſtra vota fundere,
Fierique Patri ſupplicem,
Afflatus almo lumine,
Proh mira (clamat) charitas!
Eſt iſte vir ſane innocens,
Rex eſt, Deique Filius,

Verum-

Digitized by Google

Verumque noſcens abditum
In carne Numen diligit,
Ejusque pœnis condolens
Suas libenter ſuſtinet.

Si Latro, poſtquam credidit,
Te JESU amavit illico,
Tuos item fac ſervulos
Amare te, quem credimus.

Antiphona.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. Iſa 59.

℣. Ora pro nobis ſanƈte Latro pœnitens.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui juſtificas impios, te ſuppliciter exoramus, ut benigno illo intuitu, quo Unigenitus tuus in cruce pendens beatum ſecum crucifixum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam nos provoces, & illam, quam

ei

ei promiſit, tribuas quoque nobis gloriam ſempiternam. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

AD TERTIAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen.

HYMNUS.

Sic ex Latrone perdito
Probus repente redditur,
Fidesque, ſpes & charitas
Cor pœnitentis occupant.
Converſus inde ad alterum,
Sociumque ligno pendulum,
Chriſto exprobrantem increpat,
Zeloque flagrans corripit.

Nec

Digitized by Google

Nec tu times, inquit, Deum,
Qui digna factis accipis?
Juſte quidem nos plectimur:
Gratis ſed iſte occiditur.

Has non ſemel, ſed pluries,
Ut mundus omnis audiat,
Voces amoris exprimit
Confeſſor invictiſſimus.

Aſt ille cæcus, pertinax
Divo reſiſtit lumini,
Ingratus atque complicis
Verba admonentis deſpicit.

O ſumma, JESU, veritas!
Quem Latro aperte prædicat,
Concede te coram omnibus
Palam fateri gentibus.

Antiphona.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. Iſa. 59.

℣. Ora pro nobis ſancte Latro pœnitens.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

ORE-

Digitized by Google

OREMUS.

Omnipotens & miſericors Deus, qui juſtificas impios, te ſuppliciter exoramus, ut benigno illo intuitu, quo Unigenitus tuus in cruce pendens beatum ſecum crucifixum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam nos provoces, & illam, quam ei promiſit, tribuas quoque nobis gloriam ſempiternam. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

AD SEXTAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto;
Sicut erat in principio, & nunc & ſemper,
& in ſæcula ſæculorum, amen.

HYM-

Digitized by Google

HYMNUS.

Tunc Latro ferventiſſimus,
Spe fretus admirabili,
Divæ ad tribunal gratiæ
Et corde & ore vertitur.

Et, JESU, ait, dulciſſime!
Qui das reis fiduciam,
Tu, quæſo, me miſerrimum
Te deprecantem reſpice.

Nec morte me turpiſſima
Ut liberes, te deprecor;
Nec ipſa cœli gaudia
Pro me Latrone flagito:

Hoc unicum te jam rogo,
Cum victor ipſe in cœlicum
Regnum tuum perveneris,
Mei memento, Altiſſime!

Proh quam modeſtas porrigit
Preces vir iſte humillimus!
Necandus horret poſcere
Vitam, nec audet gloriam.

Digitized by Google

JESU! cui gratiſſima
Latronis eſt oratio,
Fac nos precari, ut expedit,
Ne vota noſtra reſpuas.

Antiphona.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat, neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. Iſa. 59.

℣. Ora pro nobis ſancte Latro pœnitens.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Omnipotens, & miſericors Deus, qui juſtificas impios; te ſuppliciter exoramus, ut benigno illo intuitu, quo Unigenitus tuus in cruce pendens beatum ſecum crucifixum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam nos provoces, & illam, quam ei promiſit, tribuas quoque nobis gloriam ſempiternam. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus ſanct

Digitized by Google

ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

AD NONAM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto; Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen.

HYMNUS.

Ut iſta verba protulit,
Precesque Latro, protinus
Redemptor illis optimus]
Aures amicas præbuit.

Juratus, inquit, ſpondeo
Te vota ſupra exaudiam,
Iſtoque mecum veſpere
Eris perenni in gloria.

Tutus ſalutis redditus,
Exultat is præ gaudio,
Ovansque amore, funebris
Tormenta ſpernit arboris.

Digitized by Google

Fractis necatur denique
Confeſſor almus cruribus,
Beatus atque ſpiritus
Promiſſa carpit præmia.

O cara pœnitentia,
Cui tanta merces redditur!
Quantum merentur lacrymæ,
Amor, Dolor, Confeſſio!

JESU, ſalus fidelium!
Noſtro benigna in exitu,
Tu verba nobis dicito,
Quæ Latro felix audiit.

Antiphona.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. Iſa. 59.

℣. Ora pro nobis ſancte Latro pœnitens.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui juſtificas impios, te ſuppliciter exoramus,

Digitized by Google

mus, ut benigno illo intuitu, quo Unigenitus tuus in cruce pendens beatum ſecum crucifixum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam nos provoces, & illam, quam ei promiſit, tribuas quoque nobis gloriam ſempiternam. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſanƈti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

AD VESPERAS.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſanƈto; Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen.

HYMNUS.

In Spe, Fide, Conſtantia,
Amore, Fortitudine,
Aƈtos timore Apoſtolos
Præceſſit ille in Golgotha.

Digitized by Google

Ipſi licet miracula
Patraſſe JESUM viderint,
Ab hoſtibus captum nunc negat
Unus, relinquunt cæteri.

At Latro vixdum noverat,
Quis eſſet ille. Et impium
Forma ſub abjectiſſima
Quis hunc virum non crederet?

Invictus heros attamen,
Hunc derelictum protegens,
Juſtum, Deumque prædicat,
Ejusque in hoſtes intonat.

Hinc, ſi videtur innocens
Turbis JESUS perfidis;
Si Rex, Deusque creditur,
Latrone teſte creditur.

JESU! Deum te abſconditum
Latro tuetur acriter;
Nos ergo, qui te novimus,
Fac te tueri fortiter.

Digitized by Google

Antiphona.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. Iſa. 59.

℣. Ora pro nobis ſancte Latro pœnitens.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui juſtificas impios, te ſuppliciter exoramus, ut benigno illo intuitu, quo Unigenitus tuus in cruce pendens beatum ſecum crucifixum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam nos provoces, & illam, quam ei promiſit, tribuas quoque nobis gloriam ſempiternam. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

AD COMPLETORIUM.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto;
Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen.

HYMNUS.

Quis ergo, Vir ſanctiſſime!
Dignas tuis virtutibus,
Et ſanctitate maxima
Laudes valebit pangere?

Divus vocaris, Angelus,
Evangeliſta, Apoſtolus,
Confeſſor imperterritus,
Et Martyr invictiſſimus;

Fide, Spe, Amore maximus,
Fortisque, Juſtus, Temperans,
Prudens, & in Calvario
JESU Advocatus unicus:

Tu diceris credentium
Dux, & typus ſperantium,
Et norma pœnitentium,
Tutorque agonizantium,

Triſtis

Digitized by Google

Triſtis Dei ſolatium,
Matris dolentis gaudium,
Clementiæ miraculum,
Et gratiæ myſterium.
Hinc te, Latro admirabilis,
Mihi Patronum deligo,
Te protegente ut gaudiis
Tandem fruar perennibus.

Antiphona.

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat: neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat. Iſa. 59.

℣. Ora pro nobis ſancte Latro pœnitens.

℞. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui juſtificas impios, te ſuppliciter exoramus, ut benigno illo intuitu, quo Unigenitus tuus in cruce pendens beatum ſecum crucifixum traxit Latronem, ad dignam pœnitentiam nos provoces, & illam, quam

ei promiſit, tribuas quoque nobis gloriam ſempiternam. Per eundem Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

COMMENDATIO.

Cum fine quæram proſpero
Vitam, diesque claudere,
Et judicanti ſpiritum
JESU expiatum reddere:

Devotus, o ſanctiſſime
Latro! tibi ſupplex accido,
Mihi, precorque, ut impetres,
Quæ nactus ipſe es munera.

Hæc ſunt Fides, Spes, Charitas,
Et prompta pœnitentia,
Pleniſſima Indulgentia,
Cœleſtis atque gloria. Amen.

LITA-

Digitized by Google

LITANIÆ
DE
SANCTO BONO LATRONE,
ex elogiis ſanctorum Patrum concinnatæ.

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.

Sancte

Digitized by Google

Sanſte bone Latro,

Sanſte bone Latro	Miraculum gratiæ,	ora pro nobis.
Exemplum ſingularis miſericordiæ Dei,
Doſtor ſanſti timoris Dei,
Speculum inſigne virtutum,
Advocate unice innocentis JESU in monte Calvario,
Confeſſor imperterrite Divinitatis JESU,
Solatium morientis Dei,
Gaudium ſtantis ſub cruce doloroſæ Matris,
Socie JESU beatiſſime in cruce,
Vindex magnanime JESUM in cruce blaſphemantium,
Norma pœnitentium peccatorum,
Sanſte ab ipſo JESU canonizate,
Primitiæ frugum peraſtæ in cruce redemptionis.

Digitized by Google

Sancte bone Latro, Refugium peccatorum deſperationi proximorum, ora pro nobis.

Sancte bone Latro, Patrone morientium, ora pro nobis.

Sancte bone Latro, Abyſſus multa judiciorum Dei, ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chriſte audi nos.

Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon.

Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas

Digitized by Google

ducas in tentationem, ſed libera nos a malo. Amen.

OREMUS.

JESU, qui ineffabili tua miſericordia unum tecum in cruce pendentem ſocium ex nefario latrone eximium pœnitentiæ ſpeculum effeciſti, & in regno tuo inter æternum beatos collocaſti: da nobis, ut per ejus interceſſionem gratia tua adjuti, dignos pœnitentiæ fructus faciamus, & in hora mortis noſtræ ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis muniti paradiſi januas introire mereamur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

PII AFFECTUS
AD
S. BONUM LATRONEM.

O ſancte bone Latro! fac, ut te nocentem ſecuti pœnitentem quoque imitemur.

O me felicem, ſi & ego aliquando vocem illam JESU tui & mei audiam: *Hodie mecum eris in paradiſo.*

O Fur, o raptor optime! qui ipſum denique regnum JESU rapuiſti. Eja rape & me, & in idem regnum transfer.

O Latro piiſſime! occide in me nimis adhuc vivos, malos animi mei affectus. Crucifige, crucifige illos, & fac illos mori carni, & mundo, ſolique JESU in cruce morienti vivere.

Feli-

Digitized by Google

Feliciſſimum te, o bone Latro, qui proximus optimo cordi JESU exſpiraſti! Impetra mihi, ut non tantum prope hoc cor, ſed in ipſo hoc corde & vivam & moriar.

Patierisne, o Zelotes gloriæ Dei, ut diutius Deum offendam? Dic & mihi, quod olim dixiſti ſocio tuo: *Nunquid & tu non times Deum?* ſed dic cum magna efficacia, ut ſemper in ſancto Dei timore vivam, & nil magis timeam, quam non timere Deum.

O piiſſime Mariæ Matris Dei conſolator! o quale illi gaudium attuliſti, dum unus & unicus in monte Calvariæ JESU Filii illius advocatum egiſti. O impetra mihi, ut ego quoque pro Filio Mariæ ore & opere pugnem, ſicque amabiliſſimæ Matri inter tot aliorum hominum, quibus JESUM offendunt, peccata ſolatium aliquod feram.

O JESU ſocie, tunc primum felix, dum in cruce es! Malo & ego in cruce eſſe, quam non eſſe ſocius JESU.

Digitized by Google

O liceat loco reprobi latronis tecum, o bone Latro, in cruce pendere! Tu mihi fores exemplum, & norma, quomodo cum JESU vivere, & mori deberem. Eſſemus tunc duo in nomine JESU congregati, & JESUS in medio noſtri. Tu a dextris, ego a ſiniſtris illum oppugnaremus, & denique illi non tantum cor ſuum, ſed & ipſum totum quantum pro tota æternitate raperemus, & cum non poſſemus rapere manibus, raperemus affectibus.

O Latro beatiſſime! dixiſti JESU: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Et vero meminit tui JESUS, antequam eo veniſſet. Veniſti jam & tu in regnum illud. Itaque, quod tu dixiſti JESU, dico & ego tibi: Memento mei, memento mei in gratiam JESU, qui tui meminit. Quid poteris denegare ita roganti?

Reſpice in cor JESU, ad quod illius gratia prævaricator rediiſti! At noli eſſe contentus, quod ſolus redieris. Eja invade cor illud amabiliſſimum potenti tua inter-

Digitized by Google

ceſſione, & omnium peccatorum corda cordi JESU ſubjice. Saltem propter importunitatem exaudiet te.

Quem ego fratrem meis peccatis nactus ſum, jam ut patrem te veneror Latro optime! Miſerere filii, filii heu nimis prodigi, dum ſanguinem & merita JESU Chriſti male prodegi hactenus.

O amabiliſſime Sancte! o diligentiſſime obſervator temporis, qui nec momentum in cruce ſine fructu transegiſti! forſan pauca momenta vitæ meæ ſuperſunt. Fac, ut hæc ſaltem pro Deo, pro anima mea bene impendam.

Violenti rapiunt cœlum: hujus & tu, o bone Sancte! violentus fuiſti raptor, fac, ut & mihi violentiam inferam, & ſic rapiam cœlum.

Sancte mi! quam terret me hæc cogitatio: Quid ſi aliquando a te in cœlis æternum ſeparandus ſim? O ſuaviſſime Patrone! non ita! non ita! Tecum, ah tecum per omnem æternitatem volo eſſe. O quam

gaudeo

Digitized by Google

gaudeo jam nunc, quod aliquando te videre, tecum familiariter colloqui, te toto corde amplecti, te intime noſſe poſſim.

O magne Sancte! o ut te, tuamque ſanctitatem omnes homines noſcant. O ut cultus tuus in dies magis per univerſum orbem invaleſcat!

Dixit Latro ad latronem, ait Scriptura, & ego latro, qui animam meam, & fors plures alias malis meis exemplis, & ſcandalis occidi, dico ad te Latronem: (quid collegæ denegabis?) Ecce! & ego ſum redemptus ſanguine JESU, ſicut tu: atque hunc ipſum o quanti tu æſtimas? Nunquid hunc in me perire, & perire æternum patieris?

O quanta fuit tua fides, quanta ſpes, quanta tua caritas, quanta tua humilitas, quanta tua patientia! harum virtutum fere nihil in me video ego, ego, qui in ſinu Eccleſiæ educatus, tot annos jam in ea vivo. O liberaliſſime Sancte! effunde aliquas cum

his theſauris, quos ex gratia JESU Chriſti collegiſti, etiam in me particulas.

O quam pudet me mei! tu intra paucas horas evaſiſti Sanctus, & magnus Sanctus, dum ego quotidie peccator eſſe perſevero.

O quando tandem mi JESU! plene me ad te convertam. Si hoc aliter fieri nequeat, confige & me in cruce cum optimo tuo collega, in cruce dolorum, contemptuum, paupertatis, ut ſaltem ſic ad te aliquando in æternum perveniam.

O mi Sancte! quam felix fuiſti, cui prope JESUM mori datum eſt. Intercede pro me, ut non tantum prope JESUM, ſed ipſo JESU in ſanctiſſima hoſtia, tanquam viatico recepto, munitus aliquando beate moriar.

Vel unicus aſpectus JESU prope te pendentis o quam emolliit cor tuum! ah impetra mihi, ut & me benigno oculo intueatur JESUS. Sic & meum emollietur cor, cor meum durum, inque lachrymas ſolvetur,

quas

quas dum ſanguine JESU commiſces, audiam & ego illa ſuaviſſima verba: *Mecum eris in paradiſo.*

Amabiliſſime Sancte! quando ad mortem devenero, ſaltem tunc me non deſeras! Robora me cum tota æternitate luctantem: Depelle a me omnes infernales poteſtates. Dic denique & mihi illa ſuaviſſima verba, quæ Chriſtus tibi dixit: *Hodie mecum eris in paradiſo.*

Unus ſalvatur, ut nemo deſperet: alter damnatur, ut nullus præſumat. *S. Gregorius Nazianzenus Orat. in S. Bapt.*

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX PARTIS PRIMÆ,
ſeu criticæ relationis.

§. 1. de ſancti boni Latronis vita in ſuis ſceleribus. p. 1.
§. 2. de ſancti boni Latronis morte in cruce. p. 6.
§. 3. de ſancti boni Latronis gloria in cœlo. p. 21.
§. 4. de ſancti boni Latronis cultu in Eccleſia. p. 31.
Officium proprium ſancti boni Latronis, Patroni Regni Poloniæ & Sueciæ. p. 45.
Miſſa in Feſto ſancti boni Latronis. p. 63.
Inſcriptio ſepulchralis tumulo ſancti boni Latronis. p. 66.

INDEX PARTIS SECUNDÆ,
ſeu novendialis Devotionis.

Meditatio 1. de fide ſancti boni Latronis. p. 70.
Meditatio 2. de pœnitentia ſancti boni Latronis. p. 74.
Meditatio 3. de oratione ſancti boni Latronis. p. 77.
Meditatio 4. de ſpe ſancti boni Latronis. p. 79.
Meditatio 5. de ſancti boni Latronis amore erga JESUM. p. 81.
Meditatio 6. de patientia ſancti boni Latronis. p. 85.

Medi-

Digitized by Google

Meditatio 7. de ſancti boni Latronis contemptu rerum temporalium. p. 87.
Meditatio 8. de ſancti boni Latronis caritate erga proximum. p. 89.
Meditatio 9. de ſancti boni Latronis ſanctitate conſummata, & gloria ſublimiſſima. p. 92.

Eadem novendialis Devotio contracta in brevia puncta.

Meditatio 1. de fide ſancti boni Latronis. p. 94.
Meditatio 2. de pœnitentia ſancti boni Latronis. p. 95.
Meditatio 3. de oratione ſancti boni Latronis. p. 96.
Meditatio 4. de ſpe ſancti boni Latronis. p. 98.
Meditatio 5. de ſancti boni Latronis amore erga JESUM. p. 99.
Meditatio 6. de patientia ſancti boni Latronis. p. 100.
Meditatio 7. de ſancti boni Latronis contemptu rerum temporalium. p. 101.
Meditatio 8. de ſancti boni Latronis zelo erga proximum. p. 102.
Meditatio 9. de ſancti boni Latronis ſanctitate in genere & gloria in cœlis. p. 103.
Officium de ſancto bono Latrone. p. 105.
Litaniæ de ſancto bono Latrone. p. 123.
Pii Affectus ad ſanctum bonum Latronem. p. 127.

Digitized by Google

Emendanda.

Fol. 14.	lin. 15.	Matri ſtanti	*lege*	Matris ſtantis
18.	penult.	illa		ille
28.	penult.	quæ		qui
39.	8.	reportatæ		reportati
42.	8.	ſirum		ſitum
51.	2.	dormierant		dormierunt
66.	20.	patrocinandi		latrocinandi
75.	20.	reripiebat		recipiebat
95.	7.	mo-		modica

NB. Sæpius occurrit *Maragnonius*, legendum eſt *Marangoni*, vel *Marangonius*.

MAG 2013518

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google